judices 4. 3. *q.* 7. *nihil* 13. *q.* 6. *c. cum omnes*, *v. cum igitur*, *de constit. c. pro illorum* 22. *de prob. c. penult. & final. de adult. judicia l.* 2. *titul.* 1. *partit.* 7. ubi præter Baldum *num.* 2. Abbat. *num.* 3. Decium *num.* 5. Parisium *num.* 6. & alios ordinarios, in prædictis juribus, declarant Gregor. Lopez, & P. Barbosa *in l. viro, num.* 15. *ff. solut. matrim.* Cujacius *in præsenti*, Mancinus *genial. cap.* 179. plures congesti a Barbosa *in collect. & select. ad hunc textum*, Garanna *in præsenti*, Altesserra *hic*.

3 Impugnatur tradita assertio.

Sed pro dubitandi ratione ita adversus Innocentium insurgi potest: In pari delicto potius est favendum reo excipienti, quam actori replicanti, *l. apud Celsum* 4. §. *Marcellus*, ibi; *Marcellus ait adversus doli exceptionem non admitti doli replicationem*, *ff. de doli mali except. l. cum par.* 198. *ff. de R. J.* unde reus excommunicatus excipere potest contra actorem excommunicatum, & auditur, non obstante replicatione actoris de alia, vel simili excommunicatione, *c.* 2. *c. dilecti. hoc tit.* Ergo excipiens in præsenti specie de pluralitate beneficiorum, audiendus erat, non obstante replicatione de simili pluralitate. Augetur primo hæc dubitandi ratio ex eo; nam valde Ecclesiæ interest, ne quis in ea plura beneficia obtineat, *c.* 1. 89. *dist.* dicemus late *in c. de multa, de prebendis*. Sed quando interesse Ecclesiæ adest, auditur in judicio, qui alias ab eo repellitur, *c. si quis presbyterorum* 6. ubi Glossa *verbo Prospexerint*, *de reb. Eccles.* igitur in præsenti specie Canonici Novariensis excipientes de pluralitate, audiendi erant, non autem repellendi, saltem favore suæ Ecclesiæ, cujus causa eam opponebant. Augetur secundo hæc dubitandi ratio ex eo, nam in causis beneficialibus, parte non opponente, potest judex, imo debet inquirere de criminibus, & impedimentis partium, *c. cum nobis* 19. *de elect. c. cum super*, *de causa poss.* Glossa *verbo Aliam*, *in c. constitutis de appell.* unde in similibus causis actore non probante reus absolvitur, ut contingit in aliis judiciis temporalibus, *c. olim*, *in fin. de refer.* Gomezius *in regula de triennali q.* 36. Igitur & in præsenti casu etsi exceptio pluralitatis opposita non fuisset, judex super ea inquirere poterat.

4 Refertur hujus textus interpretatio.

Qua difficultate oppressi repetentes in præsenti, varias hujus textus adduxerunt interpretationes. Sex tradit Abbas, quas sigillatim examinantes prosequuntur Felinus, Decius, & Parisius, ex quibus illa communi plausu recepta est, quæ deduci videtur ex illis verbis: *Et non possit opponere*: &c. Unde succedit communis parœmia, neminem in alio reprobare posse, quod ipse admittit, & æquum in se putat, *l. si uxor* 13. §. *judex*, *ff. de leg. Jul. de adult. l. quoniam* 25. *C. eod. tit.* 1. 1. & 3. *ff. quod quisque jur. l.* 2. §. *idem ait*, ubi plura Accurs. *ff. ne quid in loco publico*, *l. in arenam* 11. *in fine*, *C. de inoffic. testam. l. qui bona* 13. §. *si quis*, *ff. de damno infecto*, *c. nemo* 81. *dist. c. judicet* 3. *q.* 7. *c. nihil iniquius*, *cum sequentibus* 32. *q.* 6. *c. cum omnes*, *v. Cum igitur*, *de constit. c. pro illorum* 22. *de prebend. c. penult. & final. de adult. lib.* 2. *titul.* 1. *partit.* 7. Probant ultra ordinarios *in præsenti*, P. Barbosa *in l. viro atque uxori*, *n.* 17. *ff. solut. matrim.* Tiberius Decianus *l.* 3. *crim. c.* 17. *n.* 4. & pulchre ad rem Juvenalis *satyr.* 2. ibi:

Loripedem rectus derideat; Æthiopem albus:
Quis tulerit Gracchos de seditione querentes?
Quis cœlum terris non misceat, & mare cœlo?
Si fur displicuit Verri? si homicida Miloni?
Clodius accuset mœchos, Catilina Cethegum?
In tabulam Sulla si discant discipuli trei:
Qualis erat nuper tragico pollutus adulter
Concubitu: qui tunc leges revocabat amantes
Omnibus, atque ipsis Veneri, Martique timendas,
Cum tot abortivis fœcundum Julia ventrem
Solveret, & patruo similes effunderet offas.

Unde non minus recte Tertul. *de patientia l.* 1. ait: „ Oportet „ exundationem alicujus rei adortos ipsos prius in administratione ejus rei deprehendi, ne dicta factis deficientibus erubescant. *Cassiod.* l. 1. var. epist. 4. Facilis est recti persuasor innocens judex, sub cujus prædicabili conversatione puder mores probabiles non habere. Quis enim vereatur scelus, cujus in suggestu gremii complicem vidit. " Illustrant Cujac. *l.* 11. *qq. Papin. in l. fin. ff. de condiit. sine causa*, Amaya *lib.* 1. *observ. c.* 12. *n.* 31. P. Barbosa *in l. viro* 40. *n.* 16. *ff. solut. matr.* sed licet hæc vera sint, admissis limitationibus traditis a Parinacio *in praxi*, *q.* 142. *n.* 43. & *q.* 143. *n.* 78. adhuc tamen difficultatem supra expensam non dissolvunt. Succedit secunda interpretatio Glossæ in præsenti, quam sequuntur Abbas, Cardinalis, Immola, & Decius: Barb. *n. ult.* qui docet plura beneficia possidentes exceptionem pluralitatis in judicio opponere posse, non ex propria persona, ut in præsenti specie contingebat, sed nomine Ecclesiæ. Sed hæc interpretatio præterquam divinationis vitio laborat, refellitur ex verbis hujus textus, in quibus aperte docetur, ideo Canonicos rejici ab exceptione pluralitatis: quia ipsi eodem vitio laborabant.

5 Vera hujus textus ratio.

Quare his, & aliis opinionibus omissis, vera ratio præsentis decisionis redditur ab Innoc. *in cp.* 2. supra relata, ibi: „ Legitime præfatus Alb. in vestra poterit præsentia comprobare, se possessionem præfatæ præbendæ, &c. *Et ibi*: Si vero Præfatus Alb. legitime non probaverit se possessionem illius præbendæ, qualem præscripsimus, accepisse. *Et ibi*: „ Pacifice possidere. " In quibus docetur, tuendum esse in possessione, cui competebat remedium retinendæ, *c. post electionem* 7. *v. Eximde*, *de concess. prab. c. accedens* 23. *v. deinde*, *de accus. c. licet* 28. *de prab. in* 6. licet ut eam assequeretur, obstaret exceptio pluralitatis, *c. cum adeo* 17. *de rescriptis*. Unde cum Jacobus intentasset judicium, non adipiscendæ possessionis, ut voluerunt in præsenti Baldus *n.* 2. Anania *n.* 3. sed retinendæ, cum Canonici Novariensis eum non finerent uti pacifice possessione præbendæ; ideo ait Innoc. non obstantibus exceptionibus a Capitulo Novariensi objectis, probata possessione ipsum Jacobum esse in possessione pacifica tuendum, nec ei obstare exceptionem pluralitatis, & alias similes, cum crimina opposita in modum exceptionis non sufficiant ad dejiciendum possessorem a possessione, *c.* 2. *de ord. cognit. c.* 1. *de confessis*. Nec ratio finalis hujus decisionis petenda est ex illis verbis: „ Præsertim cum exceptionem illam, quod præfatus Jacobus „ in alia Ecclesia beneficium possidet, ei non possint oppo„ nere, quos constat varia beneficia, &c. " Nam ea adjecta tantum sunt ad convincendam Canonicorum malitiam, non autem ad exprimendam finalem decisionis rationem; dictio enim *præsertim*, denotat idem esse statuendum, quamvis Canonici plura beneficia non possiderent, *c. directe*, *de appell. c. veniens*, ubi Panormit. *nu.* 20. *de præscrip. c. continebatur*, ubi Glossa, *verbo Præsertim*, *de desp. impub. Clement. gravis*, ubi Cardinalis *n.* 9. *de sent. excommun.*

6 Responderur difficultatibus.

Nec obstat dubitandi ratio supra expensa; nam respondetur, principium in ea adductum procedere, quando reus non repellitur ab excipiendo propter personæ inhabilitatem, sed propter naturam judicii, propter quam in præsenti casu non auditur, juxta supra tradita; alias enim si propter inhabilitatem personæ Canonici Novariensis repellerentur, tunc attendendum erat, quæ inhabilitas potior esset, rei videlicet, an actoris. Nec obstat augmentum primum difficultatis, cui ex Vincentio Glossa in præsenti satisfacit asserendo, Canonicos in præsenti specie potuisse excipere contra Jacobum de pluralitate nomine propriæ Ecclesiæ, sed exclusos fuisse, quia ipsi Canonici excipiebant nomine proprio, quia cum simplicite objicerent Jacobo pluralitatis exceptionem, præsumuntur eam opposuisse nomine proprio, & non Ecclesiæ, argumento textus *in l. & magis* 4. *ff. de solut.* Quam interpretationem sequuntur Cardinal. & Felinus *in princip.* Abbas *a n.* 7. Decius *n.* 8. Alexander de Nevo *n.* 11. Mancinus *genial. c.* 179. Sed hæc solutio minime defendi potest ex eo, quod aperte constat ex integra hujus textus supra relata, Canonicos non proprio nomine, sed potius Ecclesiæ dictam exceptionem opposuisse, siquidem his vertebatur inter Jacobum, & Capitulum Novariense, & ita Canonici non erant in judicio ut singuli, sed ut universi & collecti. Quare his omissis, verius dicendum est, Canonicos in præsenti casu nec nomine Ecclesiæ, nec proprio admissos fuisse, quia illa pluralitatis exceptio, tanquam respiciens proprietatem, non potuit impedire effectum interdicti, seu remedii possessorii retinendæ, propositi a Jacobo, *ex princ. textus in c.* 1. 3. *q.* 1. *c. item cum quis*, *de restit. spol.* Nec ultimum argumentum refragatur, pro cujus solutione varia adducunt in præsenti Ancharanus *n.* 2. Hostiensis *n.* 4. Abbas *n.* 8. quibus omissis dicendum est, quod etsi judex clericum plura beneficia possidentem damnare possit, & per assecutionem posterioris prioribus privatum declarare, *c. de multa* 28. *de prab.* non tamen id facere debet, aut potest, donec illi legitime constiterit plura beneficia possidere per viam accusationis, inquisitionis, aut denuntiationis: unde cum tantum exceptio pluralitatis fuisset Jacobo opposita in præsenti specie, non potuit ideo privari, aut condemnari, ex principio textus *in c.* 1. *hoc tit.* Nec necessarium est supponere, Jacobum impetrasse ultimum beneficium cum clausula, *Ex certa scientia*, ut repetentes hic communiter supponunt.

C A P U T IV.

Idem *Episcopo* a *Heliensi*.

PAstoralis officii diligentia, *Et infra*: Quoniam autem per dilatorias exceptiones malitiose nonnunquam causarum terminatio prorogatur, inquisitioni tuæ taliter respondemus, decernentes, ut infra certum tempus a judice assignandum omnes dilatoriæ proponantur; ita quod si partes ex tunc aliquas voluerint opponere, quas non fuerint protestatæ, nullatenus audiantur, nisi forte aliqua de novo sibi competens exorta fuerit; vel is, qui eam voluerit opponere, fidem faciat juramento, se postmodum ad illius notitiam pervenisse. Statuimus præterea, ut principales personæ non per advocatos, sed per seipsos factum proponant, nisi forte adeo fuerint indiscretæ, ut earum defectus de judicis licentia per alios suppleatur.

NOTÆ.

a *Heliensi*.) Ita etiam legitur in 3. collectione, *sub hoc tit. c.* 3. Quæ adhujus inscriptionis expositionem spectant, petenda sunt ex adductis *in c. pastoralis*, *de referip. c. pastoralis de judic.* ubi reperiuntur aliæ partes hujus decretalis.

COMMENTARIUM.

1 robatur conclusio.

EX hoc fragmento Decretalis epist. Innoc. III. sequens deducitur examinanda assertio: „ Judex ad proponendas „ exceptiones dilatorias debet certum statuere terminum post „ quem reus eas opponens non est audiendus, nisi tribus ca„ sibus exceptis. „ Consonat lex 9. *tit.* 3. *partit.* 3. Illustrant ultra congestos in præsenti a Barbosa, Balboa, & Garanna, Donellus *l.* 21. *comm. c.* 9. Cujacius *ad hunc textum*, & *ad tit. C. si a non competenti judice*, & *in l.* 19. *C. de probat.* Pichardus *in manuduct.* 1. *p. præcept.* 3. Azevedo *in l.* 1. *tit.* 5. *l.* 5. *recopil.* Petrus Paulus *in repetit. ad hunc text.* Vultejus *de judic. l.* 2. *c.* 7. *n.* 850. Vighel. *in method. juris can. f.* 160. Fragoso *de regim. Christ. Reip.* 1. *p. l.* 5. *disp.* 12. §. 7. Hunnius *in encycl.* 2. *p. tit.* 7. Carleval *de jud. l.* 2. *tit.* 2. *disp.* 5. Bronchorst. *ordin.* Bayo *in praxi*, *l.* 1. *c.* 1. Dadin. Altesserra *in present.*

2 Impugnatur hæc assertio.

Sed pro dubitandi ratione ita adversus Innocentium insurgi valet: Indultum a jure beneficium nemini est auferendum, *regul. Indultum* 17. *de R. J. l.* 6. Sed ad opponendas in judicio exceptiones dilatorias reo concessum est tempus a litis exordio usque ad contestationem, *l. fin. C. hoc tit. l. exceptionem* 19. *C. de probat. l. ita demum* 13. *C. de procur. c. inter* 20. *de re jud.* ergo judex non potest auferre tempus illud a jure statutum illud coarctando. Augetur primo hæc dubitandi ratio ex eo, nam exceptio procuratoria dilatoria est, *l.* 2. §. *fin. l. exceptionem* 3. §. *procuratoria*, *ff. de except.* §. *preterea* 2. *hoc tit.* sed exceptio procuratoria opponi potest in quacumque parte *litis*, *c. in nostra* 4. *de procur. l.* 24. *C. eod. tit.* ergo non omnes exceptiones dilatoriæ opponi debent intra tempus a judice præscriptum. Eodem modo argui potest de exceptione recusationis judicis; quæ cum sit dilatoria, omni tempore, etiam post litem contestatam, opponi valet, *c. insinuante* 25. *de offic. deleg.* idem procedit in exceptione excommunicationis, quæ etsi dilatoria sit, semper, & omni tempore objici potest, *c. exceptionem* 12. *hoc tit. in Clem. unic. eod. tit.* Igitur non omnes exceptiones dilatoriæ opponi debent intra tempus a judice præscriptum.

3 Variæ exceptionis acceptationes.

Qua dubitandi ratione ita vallata minime obstante, vera est præsens assertio, pro cujus illustratione sciendum est, exceptionem ab excipiendo dictam esse: verbum autem excipere late patere; aliquando enim accipitur pro absumere, capere, vel suscipere, *l. observari*, §. 1. ibi: *Est enim congruens, ut unusquisque in patria sua Proconsulem excipiat*, *ff. de offic. Proconf. l. si Titius*, ibi: *Alter onus obligationis integrum excipere debet*: *ff. de fidejuss. l. si diutino*, *ff. de pœnit.* *l. eum qui bona*, *ff. de jure fisci*, l. 2. *C. ubi in rem actio*, *l. interdum*, *ff. de judiciis*, *l. non solum*, *ff. de noxal. c. fin.*, §. *quod si*, *ut lite non contest.* Etiam excipere significat pœnam pati, *l. si adulterium*, §. *Imperatores*, *ff. ad leg. Jul. de adult.* accipitur etiam pro colligere. Martialis *l.* 1. *epig.* 94.

Ventris onus misero, nec te pudet, excipis auro.

Et *lib.* 3. *epigr.* 5.

Est illi conjux, quæ te, manibusque, sinuque.
Excipiet.

Et pro intercipere, & insidiari: Cicero *ad Atticum lib.* 4.

Admoniti sumus ut caveremus, ne exciperemur a Cæsare.

Virg. 3. Æneid.

Excipit incautum, patriasque obtruncat ad aras.

Joan. Ludov. de la Zerda *in* 4. *Æneid. fol.* 321. *n.* 5. Proprie tamen excipere is dicitur, qui aliquid in eodem toto comprehensum ab inde eximit, separat, sejungit. Non. Marcel. *lib.* 5. *de propriet. serm. num.* 158. qua in significatione, translatione quadam facta, utuntur Jureconsulti extra judicium, & in judicio. Extra, in contractibus, sive conventionibus, pro eo quod dicimus pacisci; quo sensu excipere servum sine peculio, accepisse videtur Ulpianus *in l.* 2. §. *apud Julianum*, & sequenti, *ff. de heredit. vel act. vend.* ac si diceremus, pacisci cum actore de quodam servo hæreditario. Atque in eadem significatione verbo excipiendi ter usus est Modestinus *in l. quæro* 29. *ff. de act. empti*, & apud Pomponium *in l. si quis* 32. *ff. de usufruct.* excipere interpretamur pacisci; & *in l. si dixi* 13. *ff. de præscript. verb. l. si venditor* 10. *ff. de relig.* & exceptionem accipimus pro pactione, *in l.* 3. *ff. de rescind. vendit. l.* 7. §. *adeo*, *ff. de pactis*, *l. pactis* 72. *ff. de contrah. empt.* notarunt P. Faber *l.* 3. *semestr. c.* 24. Levinus Torrentius *ad Horatium l.* 2. *satyr.* 3. *ver.* 285. Hothomanus *l.* 1. *amicab. c.* 1. Merillus *l.* 3. *observ. c.* 21. & 22. Revard. *l.* 2. *var. cap.* 13. qui non immerito suspectam dicit emendationem Cujacii *in d. l.* 7. §. *adeo*, pro eo, quod in omnibus exemplaribus scriptum est, *exceptionis*, reponentis *l.* 2. *observ. c.* 15. despectionis: & Hothomanus *l.* 12. *observ. c.* 1. *in fine*, diferte monet *in d.* §. *adeo*, pro *exceptionis*, non esse legendum *despectionis*. Et licet Jul. Pacius *in notis ad eumdem* §. referat se habere manuscriptum, in quo legitur, *pactionis*; fatetur tamen in eodem MS. ad marginem notatum, alios legere, *exceptionis*. Alio etiam modo usurpatur exceptio in judicio; interdum enim dicitur quis actionem excipere, ut *in l. non solum* 3. *ff. de noxal.* quod idem est, ac actionem pati, *in l. finali*, *ff. de R. V. in l. si quis in legatione* 6. *ff. de jud.* vel ut dicitur *in l. sed etsi* 52. *ff. de judic.* suscipere actionem. Est enim exceptionis generalis vox, qua significatur quævis defensio actori, sive reo communis, *l. si quis*, *C. de except. l.* 1. *C. de juris & facti ignor.* quomodo appellatione exceptionis venit replicatio, quæ opponitur exceptioni, *l. exceptio* 22. §. 1. *ff. de except. l. ita quis* 48. *ff. de procur.* ratione enim finis, & effectus, etsi ab actore opponatur, recte exceptio dicitur, *l.* 2. §. 1. *ff. hoc tit. l. in exceptionibus* 10. *C. eod. l. juris gentium* 7. §. *sive ff. de pactis*. Quare recte *in l. ita quis* 15. *ff. de legatis præstand.* Accursius exceptionem recte interpretatur replicationem; quo modo etiam exponenda est lex *apud Celsum* 4. §. *si quis pupillo*, *ff. de doli except.* Unde recte infert Donell. *l.* 22. *c.* 1. omnem quidem exceptionem esse defensionem, sed non æque omnem defensionem esse exceptionem, quare interdum exceptiones defensiones dicuntur, *l. sed etsi* 52. *ff. de jud. l. defensiones*, *C. hoc tit. l. emptori*, *C. de evict. l. si debitor* 16. *de doli except. l. ex diverso* 17. §. 1. *ff. solut. matr. l. fin.* §. *cum mihi*, *ff. de V. O.* imo verbum *defensio*, simpliciter prolatum, sumitur pro exceptione *in l. si quidem*, *l. defensionis*, *l. cum nondum*, *C. hoc tit. l.* 1. *C. de R. V. l. diffamari*, *C. de ingen. manumiss. l.* 2. *ff. de juris*, & *facti ignor. l. sed etsi* 52. *ff. de jud. l. dolia* 76. §. 1. *de contr. emptione*, *l. is qui* 5. *l. nemo* 8. *ff. hoc tit. c. cum inter* 5. *c. dilecti* 8. *c. significaverunt* 11. *infra*. Unde si lege, aut statuto prohibeatur alicui excipere contra instrumentum, non impeditur proponere alias defensiones; si vero defensiones proponere illi interdicatur, interdicetur etiam objicere exceptiones. Cujus differentiæ ratio in eo consistit, quia cum defensio genus sit, remoto genere, removentur species sub eo contentæ; remota vero specie, non removetur genus, *l. si chorus* 79. *ff. de legat.* 3. *l. semper* 157. *ff. de R. J.*

4 Exceptio est defensio.

Exceptio igitur in specie est defensio actoris, vel rei in judicio proposita, præcipue illa, quæ ipsam actionem excludit protinus, & evacuat, seu injustam reddit, *l.* 2. *ff. hoc tit. l. filius*, *la* 2. §. *ult. ff. de interrog.* Quare exceptio opponitur actioni; unde merito Paulus *in l. verbum* 8. *ff. de V. S.* scripsit actionis verbo non contineri exceptionem, quia actio competit actori, *l. extat* 13. *ff. de eo quod metus*: exceptio competit reo. Actio item est jus prosequendi in judicio, quod sibi debetur, *l. nihil* 51. *ff. de O. & A. princ. Instit. de action.* exceptio vero est jus fugiendi, idest se defendendi in Judicio. Textus ita intelligendus *in l. minor* 39. §. *fin. ff. de jurejur.* atque ita sunt contrariæ. Nec contrarium docet Consultus *in l.* 1. *ff. de except.* quia qui exceptione utitur, non dicitur ibi agere, sed agere, videri: quæ dictio *videtur*, nota est improprietatis: & ex eodem interpretandum est, quod mox subjicitur, reum in exceptione actorem esse. Hujus improprietatis ratio duplex est; una est, quod sicut actor intendit jus suum agendo, ita contra reus intendit jus suum excipiendo: quo modo quæ alias dicitur exceptio, etiam dicitur intentio *in l.* 1. *C. si pignus convent.* Altera est, quod reus excipiens quandoque necesse habet, ut partes actoris in se recipiat, nimirum improbando id, quod de exceptione negatur, quæ partes alioquin tam sunt propriæ actoris, ut Jurisconsulti interdum verbo agendi utantur pro verbo probandi, quod fecit Africanus *in l. si plusquam* 15. *ff. de novi oper. nunc.* & Scævola *in l. ædificatur*, *ff. de damno infecto*; ut mirum non sit si reus, qui excipit, eo ipso dicatur agere eo casu, quo necesse habet exceptionem suam probare; atque hoc ita diserte interpretatur Ulpianus *in l. in exceptionem* 19. *ff. de probat.* dicens in exceptionibus reum partibus actoris fungi oportere.

5 Exceptionis definitio.

Exceptio igitur ita specifice accepta, varie definitur ab Interpretibus, ex quibus aliqui existimarunt, ejus definitionem tradi ab Ulpiano *in l.* 2. *ff. hoc tit.* dum ait, exceptionem esse quamdam quasi exclusionem, quæ opponi actioni cujusque rei solet ad excludendum id, quod in intentionem, condemnationemque deductum est: sed hæc potius est nominis notatio ab effectu deducta, quam definitio, ut ex verbis sequentibus Ulp. deducitur. Simile est quod ait Paulus *in l. antepen. ff. hoc tit.* dum docet, exceptionem esse conditionem, quæ modo eximit condemnatione reum, modo minuit damnationem. Cujac. *ad tit. ff. de except.* ait: *Exceptio est intentio actioni contraria*. Et ad eumdem titulum Codicis ait: *Exceptio est intentio rei opposita intentioni actoris*. Hothomanus in partitionibus juris Civilis, *c.* 55. docet: *Exceptio est rei defensio, quæ non totam actoris intentionem excludat, sed ejus partem minuat*. Verum eos docte refellit Vultejus *de judic. l.* 2. *c.* 7. *n.* 62. Quare his omissis, & aliis traditis a Donello, & Zangero *ubi proxime*, dicendum est, quod sicut actio est jus persequendi in judicio, quod sibi debetur, ita exceptio est *jus depellendi in judicio, quod ab alio petitur*. Ideo actio vocatur, quasi capio, seu captio; exceptio quasi excapio, vel excaptio: simili omnino sensu, etiam apud Festum, *præcipuum*, *quod ante capitur*; *excipuum*, *quod excipitur*, appellatur: qua definitione exprimitur vis, & effectus exceptionis, ita ut ubi actori actio non competit, nec exceptio detur, cum reus ipso jure non teneatur. Nec tunc obstat textus *in l. penult. ff. de condict. ob turp. causam*, ubi Paulus dect eum, cui promissum est aliquid ob turpem causam, in judicio agentem, posse exceptione doli mali submoveri: sed ex tali promissione nulla nascitur obligatio, vel actio, *l. juris* 7. §. *si ob malefitium*, *ff. de pactis*, *l. generaliter* 26. *l. veluti* 27. *l. si stipulater* 35. *l. si flagitii* 123. *ff. de V. O. l. ex eo* 4. *C. de inutilibus*: consequens ergo videtur, dari exceptionem, etiamsi nulla subsit obligatio, vel actio, cui opponatur. Nec ferendi sunt Ultramontani asserentes ex illa promissione facta ob turpem causam oriri obligationem, & actionem; moti ex eo, quod exce-

exceptio competat *in d. l. pen.* nam eos evidenter convincit textus *in d. l. ex eo* 4. *d. l. generaliter* 26. *& seq.* ubi Duarenus, & Donellus cum nuper relatis: textus etiam apertus *in l. si a reo* 7. *& final. juncta l.* 1. *& l.* 17. *§. fidejuss. accipi, ff. de fidejuss.* Quare eorum rejecta sententia, & omissis interpretationibus quorumdam antiquorum, quos refert & sequitur Alciatus *in d. l. generaliter* 27. *n. ult.* alia Jasonis ibidem *nu.* 5. quam refutat Orosius *in d. §. si ob maleficium, n.* 19. alia Ferreti, alia Duareni, & Cujacii in eadem lege; generaliter dicendum est, turpitudinem dumtaxat expressam in stipulatione impedire ortum obligationis, & actionis; quo sensu loquuntur jura præcitata, & lex *ob mercalem* 5. *C. de condict. ob turp. caus.* non vero turpitudinem, quæ silentio est in stipulatione involuta, veluti quando cogitata est turpitudo, nec in stipulationem, vel conditionem nominatim deducta, ut si simpliciter promisi centum; causa autem promittendi fuit, ut turpe aliquid faceres, de quo prius actum fuerat inter nos: atque adeo stipulatio hæc non impedit ortum obligationis, & actionis, cum ejus verba nihil turpe expresse contineant, quamvis illam actionem possint exceptione repellere. Textus ita intelligendus *in d. l. penult. ff. de condict. ob turp. caus.* & suadetur ex illis verbis: *Pristina causa*, idest turpitudo, *superest*. Ita Donellus *l.* 12. *comm. c.* 21. *in fine*, & *in comm. ad d. l. generaliter*, cujus opinio, & interpretatio non displicuit Giphanio *ibid. n.* 14. Cujac. *l.* 3. *qq. Pauli in d. l. penult.* ubi recte observat in universa contextura illius legis turpitudinem versari ex parte utriusque; aliter enim non denegaretur repetitio, ut *in l.* 1. *§. ult. l.* 4. *§. quoties*, & *l. fin. eod. tit.* atque ita illa textus verba, *Porro autem, nec dantis, nec accipientis*, idem valent quod *perinde*, aut *siquidem*.

6 Variæ illationes. Ex his infertur, exceptiones quas vulgo DD. facti vocant, seu intentionis, non esse proprie exceptiones, & per consequens minus congruam censeri definitionem Abbatis *in præsenti, n.* 1. qui ait, exceptionem esse exclusionem actionis, vel intentionis: quam sequuntur Mantua *hic, nu.* 12. Medicis *de definit. c.* 56. Rebuffus *de except. n.* 7. P. Gregorius *l.* 21. *syntag. c.* 17. nam quando actori nulla actio competit, reus ipso jure non tenetur, ac per consequens exceptione non indiget, *l. si ex testamento* 49. *§.* 1. *ff. de fidejuss. l. Lucius* 46. *l. fin. de administr. tut.* unde vulgo docetur, diversum esse aliquem liberari ipso jure, & liberari ope exceptionis, *l. si tibi* 17. *§.* 2. *&* 3. *l. si cum te* 51. *ff. de pactis, l. qui servum* 34. *§. si is cui, ff. de O. & A. l. ult. §. cum mihi, ff. de V. O. l. cum quis* 38. *§.* 1. *ff. de sol.* Igitur exceptio dari non potest, ubi nulla competit actio, quandoquidem reus tunc ipso jure liberatus est, nec indiget exceptione ad removendam actionem. Inde etiam liquet, reum in judicio proponentem solutionem, novationem, aut acceptilationem, non dici proprie exceptionem opponere; nam talis liberatio tantum objicitur actori de facto agenti absque actione; & ita per talem allegationem repellitur actus, non excluditur actio; siquidem exclusio supponit existentiam, *l. decem* 116. *ff. de V. O.* docent Cujacius *in l. si tibi, §. de pignore, ff. de pactis*, Costa *in l. si ex cautione, v. Est in factum, n.* 7. *C. de non num. pecun.* Etiam exinde infertur, meram, & absolutam negationem non esse proprie exceptionem, ut docent Covarr. *in regul. possessor, in princ. n.* 5. Donellus *d. l.* 22. *c.* 1. ubi Osuald. *litt. B.* nam in negatione solum disceptatur, an sit verum quod actor proposuit, non autem de viribus exceptionis agitur. Facit textus *in l. siquidem* 9. *C. hoc tit.* ubi docetur, quod ubi factum, seu causa agendi a reo negatur, non est necessaria ulla defensio, nisi negationi accesserit juramentum; tunc enim non tam ipsa negatio, quam jusjurandum inducit exceptionem: quo modo intelligitur textus *in l. fin. ff. de except.*

7 Exceptionum divisio. Sequitur (ut ad præsentem textum accedamus) exceptionum divisio, quæ triplex est. Prima, quæ sumitur a causa efficiente: secunda a nomine: tertia ab effectu. A causa efficiente exceptiones ita dividuntur, ut aliæ sint civiles, aliæ Prætoriæ, *§. hæ, Instit. hoc tit.* Civiles dicuntur, quæ ex legibus, vel quæ vicem legis obtinent, oriuntur, ut exceptiones Senatusconsulti Macedoniani, Vellejani, non numeratæ pecuniæ, divisionis D. Hadriani, & exceptio si non per eam rem præjudicium petitioni hæreditatis fiat, de qua *in l. si post* 13. *ff. hoc tit. l.* 1. *ff. famil. ercisc.* Prætoriæ sunt, quæ ex Prætoris edicto, jureque honorario proveniunt, ut exceptio quod metus causa, doli mali, pacti conventi, & similes. Tam istæ autem, quam illæ naturali æquitate nituntur; nam omnis exceptio ab æquitate descendit, *l.* 1. *&* 2. *l. qui æquitate* 12. *ff. de doli except. l.* 1. *de vacat. muner. l. Marcellus* 66. *ff. de R. J. l. si major* 36. *C. de transact. c. cum inter*, ibi: „ Æquitas judicantis, hoc tit. „ §. 1. Instit. hoc tit. *Cicero* in dial. de partibus Oratoris, „ *ibi*: Quare de constituendis actionibus, de excipienda iniquitate actionis, de componenda æquitate, &c. „ Secunda divisio est, quod aliæ sunt exceptiones nominatæ, aliæ innominatæ. Vultejus *In jurisprud. l.* 2. *de except. & judic. l.* 2. *c.* 7. *num.* 74. Nominatæ exceptiones sunt, quibus aliquod nomen a jure inditum est, deluti exceptio rei judicatæ, de qua agemus *in c. adversario, hoc tit.* exceptio jurisjurandi, de qua *in §. æque, Instit. hoc tit.* exceptio doli mali, de qua *in tit. de doli except.* exceptio metus, de qua *in tit. de eo quod metus*: exceptio quod facere possum, de qua *in l. sunt personæ, ff. de re jud.* exceptio libertatis onerandæ causa, de qua *in l. exceptiones, in fin. ff. hoc tit. l.* 1. *ff. quarum rerum*, & aliæ similes. Innominatæ exceptiones sunt illæ, quæ certo nomine designatæ non sunt, eamque ob causam sicut actiones, quibus a jure nomen peculiare non erat inditum, generali vocabulo dicebantur actiones in factum, ita hæ etiam exceptiones commune hoc nomen habent, ut dicantur exceptiones in factum *in l.* 14. *ff. hoc tit. l.* 2. *§. generaliter, ff. de doli mali except. l.* 14. *§. eum qui, ff. quod metus caus. l.* 1. *§. si servus, ff. de except. rei vend. l.* 8. *ff. de condict. ob turp. caus. l. cum ultra, C. de non n. pecun.* Item in factum comparatæ, *d. l. apud Celsum, §. si ad Titium.* Item in factum datæ, *l.* 23. *ff. de jud. l.* 30. *ff. de interrog. in jur. faciend. l.* 1. *ff. de superfic.* Item in factum compositæ, *in princ. Instit. hoc tit.* Atque hoc sensu Jurisconsulti dicunt excipi in factum, *d. l. apud Celsum, §. adversus, l.* 4. *ff. de usufruct.* quemadmodum causa, & non exceptio dumtaxat, sed etiam præscriptio in factum dicitur, *d. l. Paulus, hoc tit.* Quemadmodum igitur, quia actionum numerus plenus non erat, ideo dabantur actiones in factum, easque actiones, quæ legibus erant proditæ, supplebat Prætor in eo, quod legi deerat, reddendo actiones in factum legi accommodatas, ut est *in l.* 11. *ff. de præscript. verb.* ita etiam dabat exceptiones in factum ad impugnandas actiones, ubi æquitas poscebat: & exceptiones utiles, quoties aliæ, nimirum nominatæ, vel directæ deficiebant. Atque ita ipse Ulpianus actionem, & exceptionem inter se comparasse videtur *l.* 2. *disp.* ex quo desumpta est lex 21. *ff. de præscript. verb.* Tertia divisio ab effectu desumpta traditur *in l.* 3. *ff. hoc tit. §. appellantur. Instit. eodem*, ita ut exceptiones quædam sint perpetuæ, seu peremptoriæ; quædam sint temporales, sive dilatoriæ. Perpetuæ exceptiones sunt quæ semper agentibus obstant, ubi, & quandocumque agitur, ut ex eis actio perimatur, & nulla reddatur, *l.* 3. *C. Theod. de divers. rescript.* ut exceptio rei judicatæ, præsumptiones, & similes: eaque peremptoriarum exceptionum natura est, ut perpetuo durent, *l.* 73. *C. Theod. de appell.* excepta tantum exceptione non numeratæ pecuniæ, quæ etsi sit peremptoria, *§.* 1. *Instit. hoc tit.* non tamen est perpetua; siquidem olim quinquennio, hodie biennio circumscribitur, *princ. Instit. de litt. oblig.* Dicuntur etiam peremptoriæ, quia omnem cognitionem tollunt, & vires principalis negotii exhauriunt, *l.* 8. *l.* 11. *tit.* 3. *partit.* 3. ut sunt exceptiones jurisjurandi, doli mali, rei judicatæ, pacti de non petendo, & similes, quarum explicationem prosequuntur Vultejus *d. c.* 7. Zangerus *de except.* 2. *part. l.* 2. *per tot.* Donellus *l.* 22. *c.* 2. & *in rubr. C. hoc tit.* Cujacius *l.* 9. *observ. c.* 23. P. Greg. *l.* 21. *syntag. c.* 17. Madera *l.* 1. *animadv. c.* 28. Cujacius *in l.* 1. *C. hoc tit.* & *ad tit. Cod. sent. rescind.* Temporales, & dilatoriæ illæ sunt, quæ ad certum tempus obstare solent, & causam non perimunt, sed tantum temporis dilationem tribuunt, *l.* 2. *§. ult. cum seq. ff. hoc tit. §. temporales Instit. de except.* quales sunt quæ respiciunt personam judicis, ut declinatoriæ fori, incompetentiæ jurisdictionis, & recusationis, *l. apertissimi, C. de jud. c. postremo* 36. *c. cum speciali* 61. *de appel.* vel quæ respiciunt personas litigantium, veluti legitimationis personæ, ut si compareat pupillus sine tutore, minor sine curatore, *l.* 1. *& per tot. C. qui legitimam personam standi in judicio non habent*: filius sine consensu Patris, *l. ult. §. filius, v. necessitate, C. de bonis quæ l.* uxor sine licentia mariti, *l.* 5. *Tauri*; vel procurator sine mandato, *l.* 2. *l. ita demum, C. de procurat. l.* 2. *§. defendendi, ff. quibus ex causis in possess.* aut denique quæ respiciunt causam principalem, ut exceptio libelli inepti, vel obscuri, *c.* 1. *de libelli oblat. c. examinata, de jud.* obreptionis, vel subreptionis rescripti, *c. ceterum, c. postulasti* 27. *de rescriptis*; plus petitionis, *l. unic. Cod. de plus petit.* litis pendentiæ, *l. si quis posteaquam, de judic.* quarum, & similium explicationem late prosequuntur Zangerus *de except. l.* 1. *per tot.* Donellus *l.* 22. *c.* 9.

8 De usu exceptionum. Sed ut jam ad usum harum exceptionum perveniamus, sciendum est jure civili Romanorum exceptiones a Prætore postulatas, & impetratas; atque una cum actione, & interdicto datas fuisse, ut ex Cicerone multis in locis constat, & inter ceteros *l.* 2. *de Invent.* ubi dicit: " Agit is, cui manus præcisa est, injuriarum; postulat is, cum quo agitur, a Prætore exceptionem. „ Ibidem idem Cicer. de translationibus tractans: " Quare (*inquit*) in jure plerumque versantur; ibi „ enim & exceptiones postulantur, & agendi potestas datur, „ & omnis exceptio privatorum judiciorum constituitur. *Idem* „ *Cicero* l. 1. pro Oratore; Homo (*inquit*) ex numero disertorum postulabat, ut illi unde peteretur, vetus atque inusitata exceptio daretur. *Et* in Lucul. *dicit*: Tribunum aliquem adeant, a me exceptionem nunquam impetrabunt. *Hujus juris vestigium extat* in l. 1. §. sunt quidam, ff. ne quid in flum. *ubi Ulpianus ait*: Nos hoc jure uti, ut Prætor ex causa æstimet, an exceptionem dare debeat. „ Et idem Ulp. *in l.* 1. *§. Labeo, ff. de flum.* refert Labeonem scripsisse, non esse dandam exceptionem, atque ita replicationem non semper dandam dicit Ulp. *in l. nam posteaquam* 9. *§. si minor, ff. de jurejur.* proinde formulis, quibus futuri judicii conceptio constituebatur exceptiones quoque a Prætore includi solebant, ut colligitur *ex l. si quis sub conditione* 7. *ff. de condit. instit.* ubi valde eleganter Cujac. *in l.* 2. *ff. de in jus vocando*, notavit. Frequenter ergo interponebatur exceptio uno contextu in ipsa formula actionis, dum a Prætore impetrabatur, præterquam in judiciis bonæ fidei; in istis enim exceptiones pacti, & exceptiones doli adjiciebantur a Prætore, *l. emptio* 3. *ff. de rescind. vendit. l. sed etsi* 21. *v. cum enim, ff. solut. matrim. l. hujusmodi* 84. *§. qui servum, ff. de leg.* 1. atque idcirco judex datus poterat de exceptionibus cognoscere, ut infra dicemus, etiamsi a prætore non fuissent expressæ. Textus ita intelligendus *in l.* 3. *§. ibidem* 13. *ff. ad exhib.* in cujus rationali notavit Ant. Faber, & ad textum *in l. ait Prætor* 7. *ff. de jurejur.* & *in l. si mandatum* 59. *§. illi, ff. mandati, & l.* 2. *conject. c.* 15. Donel. *l.* 22. *comm. c.* 2. *&* 8. Cujac. *lib.* 6. *qq. Papin. in l. Papinianus* 14. *ff. de publiciana.* Concipiebantur autem formulæ illarum variæ, ex quibus nonnullas tradiderunt Cujac. *l.* 5. *observ. c.* 34. Donellus *l.* 21. *comm. c.* 8. *in fine*.

in fine. Plenius tamen eas prosecutus est Brissonius *de formulis l.* 5. Plerumque dictionibus *si, non*: cujus formulæ exempla extant *in l. itaque* 48. *ff. de procur. d. l. Papinian.* 14. *l. qui pendentem* 25. *ff. de action. empti, l. consilio* 7. *§.* 1. *ff. de curat. furiosi, l. si debitor* 10. *cum seq. §.* 2. *ff. de pignor. l. sicut* 8. *§. quod si is, ff. quibus modis pignus, l. creditor* 12. *ff. qui potiores, l.* 4. *§. jam quæritur, ff. de doli except. l. si præteritus* 15. *ff. de bonor. possess. contra tab. l. proprietatis* 22. *§.* 1. *ff. de damno inf. l.* 1. *ff. famil. ercisc. l. si quis* 24. *ff. de except. rei jud. l. fin. §. si ante, ff. quod vi aut clam, l. si contendat* 28. *ff. de fidejuss.* nonnunquam his verbis, *si nihil* ut *in lib.* 2. *§. fin. ff. de doli except.* quandoque, *si tantum, §. fin. Instit. de replic. l.* 2. *§.* 1. *ff. ad l. Jul. de adult.* interdum usurpabatur vox, *at si*, ut *in l.* 8. *§. final. ff. de except. rei jud.* ubi pro *ac si*, legendum existimat *at si*, Donellus *d. c.* 8. *in fin. l.* 2. *eod. tit. l. qui cum heredes* 15. *ff. de O. & A.* etsi *in l. quia* 22. *ff. de pactis dotal.* legatur *ac si*: etiam usurpabatur formula illa, *aut nisi*, ut probat Cujacius *d. c.* 39. In jure etiam reperiuntur exceptiones per dictionem *quod*, ut *in l. si post* 13. *l. fundum* 16. *l. fundi* 18. *ff. de except. l. sed etsi* 28. *§. item si, ff. de petit. hæredit. l.* 1. *§.* 1. *l.* 7. *§. bellissime, ff. quod vi aut clam, l.* 1. *§. sunt; ff. ne quid in flum.* Unde reperiuntur exceptiones illæ, " Quod facere possit, Quod metus causa factum est, Quod libertatis onerandæ causa petitur: *l. exceptiones* 7. *ff. de exception.* Quod dolo malo non fiat, *l. qui Romæ* 122. *ff. de V. & O.* „ Unde obiter exponendus est textus *in c. si homicidium* 41. 22. *q.* 5. in illis verbis: „ Si cui forte invito, & imprudenti telum manu „ fugit. „ Quibus ultimis verbis continetur exceptio, qua excluditur homicidium, juxta XII. Tabul. " Si quis hominem „ liberum dolo sciens mortis duit, parricida est. Ast si telum manu fugit, pro capite, & natis ejus in concione arietem subjicito. „ Ex *l. si ex plagiis, §. in clivo, v. æque ff. ad leg. Aquil.* Paulo *l.* 5. *sent. tit.* 23. *§.* 1. Deuteron. *cap.* 19. *vers.* 5. constatque ex Cicerone *in Topic. ad Trebatium*, in illis verbis. " Jacere telum, voluntatis est; ferire quem nolueris, fortunæ: ex quo aries ille subjicitur in vestris actionibus, si telum manu fugit. „ Ubi dictio *aries*, denotat exceptionem, qua infringitur actio, ut exposuerunt Boetius ibi, Cujacius *in comment. ad tit. C. de except.* & *lib.* 6. *differ. Modest. in l. si servus* 17. *de accusat.* & *l.* 19. *observ. c.* 10. D. Joann. Suarez *ad leg. Aquil. l.* 2. *c.* 2. *sect.* 9. *n.* 6. Lindembrog. *in glossario, verbo Telum*.

9 De tempore opponendi exceptiones. Circa tempus proponendi exceptiones diversum jus olim observabatur, secundum naturam earum, & actionum. Juxta actionum naturam, quia aliæ sunt bonæ fidei, aliæ stricti juris: ex natura exceptionum, quia aliæ sunt dilatoriæ, aliæ peremptoriæ. Illud tamen generale erat in quacumque, sive bonæ fidei, sive stricti juris, ut contestatio coram Prætore procederet, *l. si quidem, l. exceptionem, C. de except.* in illis quidem expressa, in his vero tacita: in judiciis bonæ fidei, etsi non postularentur, contestatæ tamen videbantur. Unde exceptiones inesse in judiciis bonæ fidei, docetur *in l.* 3. *ff. de hæred. vel act. vendit. l. hujusmodi* 84. *§. qui servum, ff. de legat.* 1. contestatio illa fieri debebat in initio litis, *l. si quis* 12. *C. de except.* vel ut ait Symmachus *l.* 1. in ipso limine quæstionis: & clarius Pontifex *in c. inter monasterium, hoc tit.* ante litis ingressum, idest ante litem contestatam; si quidem litis contestatio initium est, & exordium totius judicii, *l. amplius, ff. rem ratam haberi, l.* 13. *ff. de procurat. l.* 2. *§. fin. C. de jurejur. propter calumn.* Exceptiones autem dilatoriæ, nec postulabantur a Prætore, nec impetrabantur; sed cum essent aut de constituendo judicio, pertinentes nimirum ad personas; aut de judicio inhibendo, Prætor de utrisque cognoscebat in jure, & de illis quidem semper, de his vero non aliter, quam si essent notoriæ; nam si quæ exceptiones altiorem indaginem petebant, judex datus cognoscebat; unde exceptiones fori declinatoriæ, quæ concernebant vel jurisdictionem Prætoris, coram quo in jure agebatur; vel judicis, qui a Prætore dabatur, de quibus illæ fori præscriptiones dicuntur, hæ judicis recusatoriæ appellantur; item exceptiones procuratoriæ, & illæ, quæ contingunt personas litigantium, expediebantur olim dumtaxat in jure, ita, ut earum prorsus nullus esset usus in judicio, *l.* 55. *ff. de jud. l. nemo, C. de jurisd. l. final. C. hoc tit. de except.* De procuratoriis idem docet Ulpian. *in l. filius* 8. *§. veterani, in l. Pomponius* 40. *§. penult. ff. de procur.* Hæc procedebant antequam formulæ sublatæ essent per Imperatores; formulis autem illis sublatis exceptiones dilatorias opponi debere in primordio litis, docetur *in l. penult. & fin. C. hoc tit. c. inter, de re jud. c. cum causam* 62. *de appel.* nec post litis contestationem amplius exceptionibus dilatoriis uti licet, *l. ita demum* 13. *C. de procurat. l. Pomponius* 40. *§. penult. ff. eod. l. etsi* 52. *in princ. ff. de jud.* Unde orta est regula, quod litis contestatio viam præcludit dilatoriis exceptionibus, & quod limes est, & terminus illarum; quam exponunt Zangerus *de except. c. fin. nu.* 3. Sichardus *in d. l. ita demum, n.* 2. nec admitti debent post contestationem, etsi opponantur statim, ut bene resolvit Osualdus *ad Donel. l.* 22. *c.* 8. *duplici litt. CC.* idque in nonnullis exceptionibus ex ipsa rei natura colligi videtur, quia in judicio ordinato, quando litem reus contestatur, judicium suscipit, acceptatque; unde si postea exceptionem declinatoriam opponat, pugnantia loquitur. Licebat autem olim opposita una exceptione dilatoria ad aliam transire, dum lis contestabatur, & ita protrahebatur non solum litis finis, verum & exordium. Quare ut hoc inconveniens vitaretur, cautum fuit in præsenti, ut terminus a judice assignaretur, intra quem omnes exceptiones dilatoriæ objicerentur, & discuterentur. Unde apparet in præsenti novum jus præscribi, ut jam notarunt Panormit. Decius, & Parisius *hic notab.* 1. ex verbo *decernimus*, quod novi juris inductivum est, ut probant Glossa *in Clem. penult. verb. Decernimus, de prabend.* Navarrus *in c. accepta, opposit.* 5. *nu.* 7. *de restit. spoliat.* ex textu *in c. decernimus, C. de sacros. Eccl.* & valde necessaria fuit restrictio ista; nam licet jam fuisset statutum, ut ante litem contestatam omnes exceptiones dilatoriæ opponerentur, & tractarentur, non tamen erat cautum, ut intra certum tempus objicerentur. Quare per dilationem contestationis actor nimium vexabatur, & lites protrahebantur. Inde etiam cognoscitur magna utilitas legis 1. *titul.* 5. *lib.* 4. *recopil.* ubi cavetur, ut intra novem dies enumerandos a die ultimo citationis, exceptiones dilatoriæ proponantur, & illis elapsis lis pro contestata habeatur: ubi recte notavit Azevedus, legem illam observandam esse tam in foro Canonico, quam Civili, cum nulla reperiatur in jure canonico contraria constitutio: unde succedit regula textus *in c.* 1. *&* 2. *de novi oper. nunc.*

Sunt tamen aliquæ limitationes complectentes nonnullos casus, in quibus exceptiones dilatoriæ nec ante litis contestationem opponi possunt, & etiam post litis contestationem opponi valent, imo etiam post sententiam. Prima limitatio continet sequentes casus. 10 Exceptiones regulæ supra traditæ. Primus si quis semel exceptionem dilatoriam remisit, eamque pœnitentia ductus postea repetere velit, non auditur, *l. qui procuratori* 57. *§.* 1. *de procurat.* Secundus est in causis appellationum, in quibus exceptio dilatoria merita causæ concernens opponi non potest, si in priori instantia non fuit objecta, ut docet Vultejus ubi supra, *n.* 910. in secunda limitatione quatuor casus notantur, in quibus exceptio dilatoria etiam post litis contestationem opponi valet. Primus est si exceptio dilatoria post litis contestationem primum competere cœperit, *c. insinuante* 25. *de offic. deleg. l.* 2. *C. de consortibus ejusdem litis*: nam quæ de novo emergunt, novo indigent auxilio, *l. de ætate, §. ex causa, de interrogat. in jure, l.* 1. *in princ. ff. de ventre insp. c. ceterum, de juram. calumn.* Osuald. *ad Donell. l.* 22. *c.* 9. *duplici litt. FF*, nisi opponatur exceptio incompetentiæ de novo ortæ, per quam non mutatur judicium rite cœptum, *l. si quis* 7. *ff. de jud. l. quotiens indubitati, C. ad l. Jul. de adult.* Secundus casus contingit cum exceptio ante litis contestationem orta fuit, sed postea pervenit ad notitiam opponentis, & id jurejurando firmat; quo casu etiam post contestationem eam rite opponit, argumento textus *in c. præsentium* 31. *de testibus*: docent Pacianus *de probat. l. . c.* 34. *a num.* 9. Padilla *in l. error* 9. *C. de juris & facti ignor.* Tertius casus evenit in exceptione dilatoria causæ merita respiciente, de qua accipit dictam legem *exceptionem* 12. Vultejus supra *n.* 913. Quartus est in dilatione gravamen continente non momentaneum, *c. ex p. de appell.* utpote loci suspecti, aut non tuti, Misynger. *centur.* 2. *observat.* 73. Gaillus *l.* 1. *observat.* 52. In tertia limitatione, proponendi nimirum exceptiones dilatorias post sententiam etiam latam, casus primus est exceptio nullitatis ex incompetentia judicis *l. fin. C. si a non compet. licet, C. de procur.* Secundus est in exceptione excommunicationis, *c.* 1. *de except. in* 6. Tertius est in exceptione inopiæ, quæ datur donatori etiam condemnato, tametsi eam nec ante, nec post litem contestatam opposuisset, *l.* 41. *§. fin. ff. de re jud.* Eamdem exceptionem nonnulli admittunt etiam in aliis, qui non nisi in quantum facere possunt, condemnantur, de quibus agit Imperator *in §. præterea, Instit. de action.* sine ullo juris textu: cujus sententiæ an ratio aliqua afferri possit, nunc non disputo. Quartus est exceptio pretii non soluti, cujus meminit Gaillus *l.* 2. *pract. c.* 17. *nu.* 8. Quintus est exceptio rei venditæ, non traditæ. Gaillus *d. observ.* 11. *n.* 12. Sextus exceptio falsi procuratoris, quem retulit Donellus *reg.* 264. Septimus est in omni exceptione, quæ non oppugnat sententiam, cujus meminit Gaillus *d. observ.* 17. *n.* 9. Et denique omnis exceptio, quæ judicium retro reddit nullum, quocumque tempore, etiam post latam sententiam opponi potest. Rob. Maranth. *in spec. p.* 2. *de except. n.* 9. De exceptionibus peremptoriis, & tempore intra quod opponi debeant, agemus infra *in c. exceptionem* 12.

Unde apparet quanta cum ratione statuat in præsenti Innocentius, dilatorias exceptiones esse opponendas intra terminum a judice præfixum, & præsignatum, nec postea reum eas objicientem esse audiendum; 11 Traditur ratio decidendi. nam cum reus facultatem haberet ante litem contestatam post unam exceptionem discussam, aliam opponere, aut plures singulas, & separatim, veluti judicii, seu fori declinatoriam objicere, & in ea victus judicem recusare, mox opponere contra actorem exceptionem illegitimitatis personæ, aut contra procuratorem exceptionem procuratoriam, & postea exceptionem inepti libelli, aut inversi ordinis judicialis, diversis temporibus, sub occasione exceptionum judicium valde protrahebatur, dum ante litis contestationem exceptiones illæ discutiebantur, & terminabantur; inde ut finis litibus imponatur, Innocentius statuit, ut terminus a judice præscribatur, intra quem omnes exceptiones dilatoriæ opponantur, & discutiantur, ne prædictis hominum malitiis indulgeatur, *l. in fundo* 39. ibi: *Nec malitiis indulgendum est, ff. de R. V. c. sedes* 25. *vers. nos igitur, de rescript. c. intelleximus, de judic.* Accedit votum utriusque juris, ut finis litibus imponatur, *c.* 2. *de re judic. c. finem, de dolo, & contum. l. properandum* 13. *C. de jud. l. quidam* 21. *ff. de rebus cred. l. fratris* 10. *C. de transact.*

Non obstant dubitandi rationes supra expensæ; nam omissa celebri quæstione, quando videlicet judex possit terminum a jure præscriptum restringere, seu prorogare, quam exami- 12 Respondetur difficultatibus.

nabimus *in c. quoad consultationem, de re judic.* dicendum est, in præsenti specie judicem non restringere tempus a jure præscriptum ad opponendas exceptiones dilatorias; quod nec jure civili, aut canonico statutum reperiebatur: sed tantum explicare: facultatem reo competentem opponendi exceptiones dilatorias, durare usque ad tale tempus, & eo lapso litem contestatam esse, & ita juxta juris principia postea exceptiones dilatorias objici non posse. Nec secunda difficultas adversatur, pro cujus solutione Accursius *verb. Inveniatur, in l. licet, C. de procurat.* existimavit exceptionem procuratoriam, non dilatoriam, sed peremptoriam esse: verum contraria sententia verior est, & probatur ex juris testimoniis supra expensis. Quare ea sententia omissa dicendum est, speciale esse in exceptione procuratoria, ut quandocumque opponi possit; quia reddit retro nullum processum, *d. c. in nostra, de procur.* docent *in c. exceptionem 12. hoc tit.* Abbas *num. 29.* Alexand. de Nevo *n. 42.* Parisius *n. 43.* Rebuffus *de excep. n. 388.* Afinius *in praxi, c. 2. §. 13. limitat.* Nec obstat tertia difficultas deducta *ex d. c. insinuante, de offic. deleg.* nam ut supra retuli in limitatione hujus textus, quoties exceptio dilatoria orta est post litem contestatam, etiam opponi potest, ex vulgari illo principio, quæ de novo emergunt, novo indigent auxilio. Nec tandem obstat ultima difficultas, cui respondetur, speciale etiam esse in excommunicationis exceptione, ut licet dilatoria videatur, in quacumque parte litis opponi possit, ut probatur *in dict. c. exceptionem 12.* ubi redditur specialitatis ratio in illis verbis: " Ne quisquam in periculum animæ suæ " excommunicato communicare cogatur. " Accedit, exceptionem excommunicationis etiam reddere retro processum nullum, & ideo in quacumque parte litis opponi posse, ut latius dicemus *in c. exceptionem 22. hoc tit.* ubi alia quæ hic adduci possunt de exceptionibus dilatoriis dabimus.

C A P U T V.

Idem *Monachis* a *Farsen.*

CUm inter dil. fil. T. Priorem de *b* Argentolio, ex una parte: & nobilem virum S. de *c* Malleon, diœc. Pictavien. ex altera super damnis, & aliis coram vobis ex delegatione quæstio verteretur, procuratore ipsius nobilis volente vestrum declinare judicium, eo quod duos ex vobis habebat suspectos; procurator monasterii allegavit, parti ejusdem nobilis, cum esset excommunicationis vinculo astrictus, exceptionis hujusmodi beneficium interdictum, posset habere recursum, traheretur multoties in favorem, quod est in odium introductum. Unde postulastis per Sedis Apostolicæ oraculum edoceri, qualiter in hoc dubitationis articulo procedere debeatis. Ad quod sic duximus respondendum, quod prædicto nobili legitima defensio in judicio reservatur, & maxime judicis recusatio; cum periculosum sit coram suspecto judice litigare, ac suspectis judicibus Sedes Apostolica causam de certa scientia non committat. Unde in talibus non excommunicati favor attenditur, sed æquitas judicantis, cum non debeat claudicare judicium: ac statis videatur absurdum, si actore impugnante, reo defensionis copia denegetur, quia sic condemnaretur multoties absolvendus. *e* Porro cum excommunicato, quando in causa absolutionis existit, non sit justa neganda sententia, nec interdici debeat eidem appellationis remedium, si contra justitiam condemnetur, qua ratione in uno, eodemque negotio ipsius alia legitima subtrahantur suffragia, non videmus. Ceterum non sic in reconventione sentimus, ne quod in defensionis remedium sustinetur, ad impugnationis materiam extendatur.

N O T Æ.

a *Farsen.*) In 4. collectione, ubi *sub tit. de judic.* reperitur hic textus, tantum legitur, *Idem*, nec legi potest, ut in 6. collectione *Monachis Farsensibus*; siquidem Monasterium Farsense, seu Parsense, est Ordinis D. Benedicti prope Romam, cujus originem, & progressum refert Yepes *in chron. D. Benedicti, anno 608. cap. 1.* Unde causa præsens, quæ in diœcesi Pictaviensi contigerat, non poterat committi Monachis ita distantibus.

b *Argentolio.*) Monasterium hoc est in vico Argentolii supra flumen Sequanam, quod prius fuerat virginum, ab Adelaide Regina Francorum constructum, ut constat ex Innoc. III. epistola, *l. 1. epist.* ibi: " Argentolium situm est supra " flumen Sequanam. Adelais uxor Hugonis Francorum Regis " in territorio Parisiensi construxit monasterium in villa, quæ " dicitur Argentolium. " Refert Papirius Mason. *in descript. Gall. per flumina, fol. 256.* sed ob earum fœtidam, & miserrimam conversationem in monasterium virorum fuit translatum, ut refert Renat. Chopinus *l. 1. monast. n. 17. fol. 71.* Fratres Sammarth. *t. 4. Gall. Christ. fol.* . . . .

c *S. de Malleon.*) Idest Savaricus de Malleon, miles Pictaviensis, de quo Rigordus in gestis Philippi A. ad ann. 1208. & Matthæus Paris. hic erat fautor, & defensor hæreticorum, nempe Albigensium, quos armis tuebatur. Petrus Vallisernensis *hist. Albig. cap. 56.* " Veniebat etiam cum adversariis ille " pessimus apostata, ille prævaricator iniquus, filius diabo- " li, minister Antichristi, Savaricus videlicet de Malleone, " omnem excedens hæreticum, omni deterior infidoli, impu- " gnator Ecclesiæ, Christi hostis. " Et Patres Synodi Vaurensis *in epist. ad Innoc. III.* quæ est 41. *registr. 16. inter epist. ipsius Pontificis*, ibi: " Invocavit etiam contra Dei exercitum Sa- " varicum Regis Angliæ inimici Ecclesiæ Senescallum.

d *Habebat suspectos.*) Non solum enim recusari ex justa causa potest judex ordinarius, verum & delegatus, *c. suspitionis 39. de offic. deleg. c. si quis contra, c. licet 10. de foro compet. c. cum speciali 61.* ubi dicemus, *de appell.* quæ recusationis exceptio opponi potest ante, & post litis contestationem, si emergat de novo, *c. insinuante 25. de offic. deleg. l. non distinguemus 32. §. cum quid, de arbitris*: docent alia de hac exceptione adducentes Vultejus *de judic. l. 2. c. 7. n. 84.* Zangerus *de except. 2. part. c. 4.*

e *Porro.*) Unde infertur reum excommunicatum non solum se defendere, & appellare, verum etiam posse a judice petere, ut ipsum in judicio absolvat, & sententiam pro se proferat: cum tunc nihil petat sibi dari, sed tantum absolvi a petitione; quod ad defensionem spectat, quæ illis permissa est, ut infra dicemus.

COMMENTARIUM.

6 Conclusio traditur, & probatur.

EX hoc textu talis deducitur assertio: " Excommunicatus " in judicium vocatus, potest comparere, excipere, & " appellare; reconvenire autem actorem non potest. " Probant textus *in c. revera 3. q. 9. c. intelleximus, de jud. c. dilecti 8.* juncta glossa, ibi: *verbo Deferendo, c. Dilecta 10.* ubi Glossa *verbo Denegaverunt, c. significavit 11.* juncta Glossa *verbo Defensio, c. fin. v. Quia nihil, hoc tit. c. si vero 34. de sent. excomm. c. excommunicamus 13. §. credentes, v. Nullus, de hæret. c. significavit, de offic. ordin.* Consonat lex 4. *tit. 10. l. 2. fori.* Illustrant ultra congestos in præsenti a Barbosa, & Garanna, Cujac. *hic*, Tiraquell. *de nobilit. c. 24. nu. 8.* Peregrinus *de jure fisci, l. 3. tit. 11. a n. 21.* Paz in praxi, *1. part. t. 1. tempor. 5. a n. 40.* Ricciulus *de jure person. l. 4. c. 33 & 34.* Bonacin. *de censur. t. 1. disp. 2. de sentent. excommun. q. 2. punct. 7.* Gibalin. *eodem tr. disquisit. 7. q. 8.* Oisaldus *l. 17. comment. c. 4. litt. G*, Genuens. *practic. q. 239.* Salgado *de regia protect. p. 1. c. 2. n. 168.* Alteiser, *in præsenti.*

Sed pro dubitandi ratione ita insurgi valet adversus præsentem Innocentii decisionem. Reus in exceptionibus actor est, & quilibet excipiens actoris officio fungitur, *l. in exceptionibus, ff. de probat. lib. 1. ff. de except.* Sed excommunicatus ut actor non admittitur in judicio, ut latius probavi *in c. intelleximus, de jud. c. 2. hoc tit.* Igitur nec exceptiones in judicio opponere valet. Augetur hæc dubitandi ratio ex eo, nam ratio propter quam excommunicatus a judicio repellitur, est propter periculum participationis, & communionis cum eo, & ut magis timeatur Ecclesiastica censura, atque ita excommunicatus rubore suffusus citius resipiscat, & convertatur, ut docetur *in c. exceptionem, infr. c. 1. hoc tit. in 6. c. audi denique 11. q. 3.* sed hæc ratio æque militat, sive excommunicatus adsit in judicio tanquam reus, sive ut actor. Igitur si diam agit, repellitur, etiam removeri debet, dum excipit. Difficilior est posterior pars decisionis, ubi docet Innoc. reum excommunicatum conventum in judicio, non posse actorem in eodem reconvenire; nam excommunicatis defensio non denegatur, *d. c. intelleximus*: sed reconventio est quædam defensionis species, *l. cum Papinianus 14. authent. & consequenter, C. de sent. & interl. c. 1. v. cum in agendo 3. q. 8. c. 2. de mutuis petit. c. cum dilectus 2. de ord. cognit.* Ergo reo excommunicato licet actorem reconvenire.

7 Impugnatur conclusio.

Quibus difficultatibus minime obstantibus vera est præsens decisio, cujus rationem ut facilius percipiamus, sciendum est, exceptionem esse defensionem, *c. significaverunt 11. hoc tit. l. si quidem 9. leg. defensionis 11. Cod. hoc tit. leg. defensionis 7. Cod. de jure fisci, l. 10.* latius probavi commentario antecedenti. Unde improbanda est sententia Glossæ *3. in c. 1. de litis contest. l. 6.* dum docet, exceptionem non esse defensionem, eo quod defensio tollat ipso jure actionem; exceptio autem non illam elidat ipso jure. Convincitur enim ex eodem textu in illis verbis: *Exceptionis peremptoriæ, seu defensionis cujuslibet*; ubi defensio extat loco generis, & peremptoria exceptio tanquam species refertur. Cum ergo exceptio sit defensio, consequens est eam originem ducere a jure naturali, cujus sunt omnes defensiones. *Clement. pastoralis, §. ceterum, de re judic. leg. 1. §. cum arietes, ff. si quadrupes pauper. leg. 4. in princip. leg. sciendum 45. §. qui cum aliter, ff. ad leg. Aquil.* quo unico argumento ducti ita tenent Abbas in prælenti, *nu. fin.* Felinus *nu. 4.* Decius

Decius *n. 6.* Vvesemb. *in paratit. hoc tit. num. 8.* Contrarium tamen, dicit exceptiones non esse juris naturalis, sed potius positivi, docuerunt Mantoa *in pref. rubric.* Corraf. *lib. 6. Miscell. c. 16. n. 10.* Faber *in Jurisprud. tit. 2. princ. 5. illat. 5.* moti ex eo, quod exceptio est exclusio actionis, ut *in c. antecedenti* dixi: sed actiones inventæ sunt a jure civili, *l. 2. §. deinde, de orig. juris, leg. actionum, 25. ff. de O. & A. §. sed ipsa, Instit. de action.* ergo exceptiones non possunt esse actionibus antiquiores. Deinde quia exceptio tolli potest lege positiva, aut Principis rescripto, *c. ex parte, el 2. de offic. deleg. l. 3. §. si is pro quo, ff. quod quisque jur. l. exemplo 36. in fin. G. de Decur.* tolli autem exceptio non posset, si juris naturalis esset, *§. sed naturalia, Instit. de jure natur. c. sunt quidam 25. q. 1.* Alii mediam viam elegerunt asserentes, exceptiones quoad originem, & substantiam esse juris naturalis, quoad formam vero, & solemnitatem esse juris civilis. Ita docuerunt Abbas, Hostiens. & communiter repetentes *in hac rubrica*, & alii congesti a Didaco Perez *in l. 1. tit. 8. gloss. 1, lib. 3. ordin.* quæ sententia facile repellitur, si attendamus, substantiam exceptionis non differre ab ejus forma, cum aliter reus se defendere nequeat, quam proposita exceptione juxta formam judicialem, ut docet Sesse *de inhibitione, c. 19. n. 5.* Nec magis placet sententia eorum, qui originem exceptionum repetunt a jure, a quo illæ proveniunt, ita ut si facultas excipiendi descendat, jure civili, ut in exceptione præscriptionis, aut rei judicatæ, tunc exceptio juri civili tribuatur, quando vero ejus materia provenit a jure gentium, veluti exceptio pacti conventi, vel similis legitimæ defensionis, tunc tribuatur eidem juri gentium. Ita docuerunt in præsenti rubrica Felin. *numer. 1.* Aretin. *in hac rubric. Instit. numer. 9.* Nam hæc sententia refellitur, siquidem actio, & exceptio in jure æqualiter se habent: sed ad actionis naturam non attenditur, an contractus sit juris gentium, sed semper actiones dicuntur juris civilis, *leg. 2. §. deinde, Digest. de orig. juris.* Igitur etiam exceptiones, licet ex contractu juris gentium proveniant, erant juris civilis. Quare his, & aliis sententiis omissis, alia distinctione adhibita quæstio hæc decidenda est, videlicet exceptiones omnes ad justam defensionem introductas, & necessarias, juris naturalis esse non solum si ab eodem causam ducant, verum etsi a jure civili, cum utroque casu exceptio vere defensio sit, neque quidquam referat ad rationem veræ defensionis, fiatne per modos a natura introductos; an per modos a jure civili inventos, *l. 4. ff. ad leg. Aquil.* Exceptiones autem, quæ defensioni non deserviunt, nec ad eam necessariæ sunt, juris positivi tantum esse; & illæ poterunt tolli lege civili, aut rescripto Principis, cum eo casu nulla defensio naturalis tollatur, sed tantum positiva.

9 Traditur ratio decidendi.

His animadversis facile cognoscitur ratio præsentis decisionis, & prioris partis, videlicet excommunicatum in judicio conveniri posse. Provenit enim ex eo, ne videlicet ex sua malitia, & contumacia, propter quam censura illa ligatus est, *c. 1. de judic.* commodum consequatur, contra textus *in c. etsi necesse 5. de donat. inter, l. itaque fullo 12. ff. de furtis, l. ne ex dolo 12. ff. de dolo.* Quæ ratio assignatur *in c. si vero, de sent. excomm.* juncta Glossa ibi: *verbo Reportare*: & ita merito excommunicatus renuens trahitur ad judicium, quod plerumque in invitum datur, *l. inter, 82. §. 1. ff. de V. O.* Secundæ partis decisio, ubi docetur excommunicatum in judicio posse se defendere, & appellare, provenit ex eo, quia cuilibet oppresso defensio competit a jure naturali, *l. ut vim, ff. de just. & jure, l. 1. §. cum arietes, ff. si quadrupes pauper. Clement. pastoralis, §. ceterum, de re judic.* Sahagun. *in c. 1. n. 15. de rescript.* Sed reus appellando, & excipiendo se defendit, *c. cum speciali 61. §. porro, de appel. c. omnis 3. 2. q. 6.* ergo cum excommunicatus cogatur in judicia comparere, merito conceditur ei facultas excipiendi, & appellandi, ut ita in judiciis servetur æqualitas, *l. non debet 4. §. de R. J. juncto c. non licet 32. eod. tit. in 6.* Tandem ultimæ partis ratio, ubi docetur excommunicatum non posse actorem ipsum convenire, redditur ab Innocentio nostro in illis verbis: " Ne quod in " defensionis remedium sustinetur, ad impugnationis materiam " extendatur. " Nihil enim aliud est reconventio, quam mutua, & secunda conventio, separata a priori, *l. si idem 11. §. sed si mutua; ff. de jurisd. c. 1. & 2. de mutuis petit.* junctis ibi congestis. Cum ergo convenire, & aliquem ad judicium trahere excommunicato prohibitum sit, *c. intelleximus*, ubi late probavi, *de judic.* & excommunicato in judicium convento tantum legitima defensio permissa sit, merito concludit Innocentius, quod licet excommunicato permittatur excipere, & appellare, non tamen permittitur illi actorem reconvenire, quia non potius agit, quam excipit.

10 Referuntur ampliationes, & limitationes hujus textus.

Ex qua decidendi ratione infertur, decisionem hujus textus esse accipiendam de excommunicato, qui reus est necessarius, & specialiter in judicium vocatur, juxta textum *in d. l. inter 83. §. 1. ff. de V. O.* non vero in voluntario; hic enim nec excipere, nec appellare potest, ut probant in præsenti Abbas *n. 12.* Felinus *n. 11.* Decius *n. 16.* Suarez *de censuris disp. 16. sect. 4. n. 2.* Hugolin. *de censur. tab. 2. tit. de excomm. major. c. 16.* Ricciulus *ubi supra, c. 34.* Gibalinus *ubi supr.* Quæ sententia probatur primo ex hoc textu, ibi: " Actore impugnan- " te, reo defensionis copia denegetur. " Reum enim voluntarie accedentem ad judicium actor non impugnat. Deinde confirmatur ex ratione assignata *in d. c. intelleximus*; quæ solum locum obtinet quando excommunicatus ut reus conventus est, & ad judicium trahitur invitus. Facit etiam textus *in c. exhibita, 19. de judic.* ubi agitur de his, qui per clausulam generalem, de qua *in c. fin. de elect. lib. 6.* vocati comparuerunt, qui rei voluntarii appellantur, & aliquo modo actores reputantur, quia electionem ejus, qui ad judicium illos vocavit, impugnare intendunt, & quia ut actores voluntarie ad judicium accedunt; ideo si excommunicati reperiantur, non admittuntur, quidquid Glossa ibi, verbo *Excommunicationem*, aliter exponat; nam licet ubi legitimus contradictor non apparet, qui specialiter, & directe citari possit, generalis citatio etiam per edictum valeat, ut si qui sint, qui se opponere velint, compareant, *c. significavit 41. vers. si velint, de testibus*, illa tamen citatio neminem cogit ad comparendum, sed tantum monet, ut si velint, compareant, ut jura proxime adducta probant, *d. c. fin.* ibi: *Qui se volunt opponere*. Docent Menochius *de recuperand. remed. 8. a n. 118.* Vantius *de nullitatibus tit. ex defectu cit. n. 60. & 142.* Secundo etiam infertur, præsentem decisionem procedere in appellatione judiciali, quam interponere, & prosequi potest excommunicatus; non vero in extrajudiciali, quæ proprius dicitur provocatio ad causam, quam appellatio, & ita sicut excommunicatus non potest agendo alium convenire, & ad judicium provocare, *ex d. c. intelleximus*, & similibus; ita nec extrajudicialiter appellare poterit: quæ sententia suadetur ex præsenti textu *in vers. Porro*, ibi: *Si contra justitiam condemnetur*. Quibus excludi videtur appellatio extrajudicialis: & *ex c. fin. hoc tit. lib. 6.* ibi: " Qui a judicibus ex sufficienti gravamine ad Apostolicam " Sedem appellant. " In quibus omnibus juribus agitur de appellatione judiciali. Quapropter præsens textus, & alii pro ejus confirmatione supra adducti, non absolute, & indistincte asserunt excommunicatis competere legitimam defensionem, sed caute adjiciunt, *in judicio*; idque maxima cum ratione: nam cum jus Canonicum permittat excommunicatum conveniri, illumque cogat in judicio respondere, debuit necessario omnem legitimam defensionem in eodem judicio illi concedere, ut ita servaretur æqualitas, juxta præsentem textum *in vers. cum non debeat*. Quæ omnia cessare videntur in appellatione extrajudiciali, ad quam lex non cogit, imo neque admittit excommunicatum, ut docent post Innocentium Abbas *in præsenti, n. 7.* Felinus *n. 18.* Decius *n. 40. & 44.* Alexander de Nævo *n. 39.* Immola *column. fin.* Hugolin. *de excomm. major. c. 16. §. 7. nu. 4.* licet hunc textum generaliter accipiant in quacumque appellatione ab excommunicato interposita, Ant. *hic*, Salgado *ubi supr. n. 168.*

Ampliatur præsens Innocentii Decretalis ita ut procedat in actore excommunicato, & in prima instantia condemnato, cui appellare permissum est ex eadem ratione, & regula generali, qua cavetur excommunicatis in judicio omnem defensionem, & per consequens appellationem concedi. Quod probatur expresse *ex c. significaverunt 11. hoc tit.* ubi Capitulum adversus alios agebat; & cum succubuisset, non obstante excommunicatione appellatio permittitur, ut communiter ex eo textu deducunt Abbas *in præsenti n. 15.* Alexander de Nævo *n. 38.* Roderic. Suarez *allegat. 13. n. 12.* Hugolinus *d. tr. de excommunic. c. 15. §. 1. n. 8.* Nec obstabis si dicas, appellantem in ea specie esse actorem, & appellationem eo tendere, ut actor consequatur, quod in prima instantia petebat. Igitur illi appellare non licet. Qua difficultate post Hostiensem oppressus Decius *in præsenti, n. 21.* existimavit, actori excommunicato non licere appellare. Sed facile respondetur dicendo, quod licet appellans dicatur actor quoad effectum, ut tamquam actor suam appellationem, & justitiam probare teneatur, juxta ea, quæ in reo excipiente probat textus *in l. 1. ff. hoc tit.* tamen quia non agit sponte, sed potius coactus, & involuntarius; ab ipsa sententia eum condemnante, & a lege ipsa, quæ intra breve tempus decem dierum appellationem cogit, ne alias sententias in rem judicatam transeat, *c. quoad consultationem 25. de judic.* hac de causa actor excommunicatus ad appellandum admittitur, quia talis appellans licet a principio fuerit actor voluntarius, postea tamen dicitur reus, cum ab injusta sententia se defendere cogatur.

11 Solvuntur difficultates.

Nec obstant difficultates supra expensæ. Non prima, in qua dicebamus, reum in exceptionibus loco actoris haberi: nam id procedit quoad onus probandi exceptiones propositas, quod regulariter actori incumbit, *l. actor, C. de probat.* non vero simpliciter appellari actor valeat, cum sibi non petat dari, vel fieri, *§. 1. Instit. de action.* sed solum intendit in totum, vel in partem actorem appellare, & actionem elidere, *l. 1. ff. hoc tit.* docent in præsenti Abbas *n. 11.* Imola *n. 3.* Decius *n. 15.* Alexand. *nu. 29.* Unde licet excommunicatus tamquam actor in judicio esse non possit, conventus tamen excipiendo auditur. Nec obstat secunda difficultas; nam negandum est, ex parte excommunicati esse eamdem actionem in actore, & in reo; in actore enim, & periculum communicandi attenditur, & expectatur, ut propter ruborem ab excommunicatione resipiscat: reus autem cum invitus ad judicium trahatur, tantum abest, ut ruborem, & confusionem patiatur, si a judicio repellatur, ut potius beneficium, & commodum inde assequatur, cum comparere non cogatur. Quod vero attinet ad periculum communionis cum eo, nullum datur, cum necessitas excuset a culpa, & per consequens a censura. Accedit ratio majoris boni, quod consequitur hoc casu, si excommunicatus in judicio comparere cogatur, quam si a judicio repellatur. Nec obstat ultima difficultas, cui satisfaciendum est negando reconventionem proprie esse defensionem actioni oppositam; nam nihil aliud est, nisi secunda conventio a priori separata, quæ mutua petitio appellatur, ideoque cum in effectu petitio, & conventio sit, prohibetur excommunicatis-

nicatis in præsenti. Nec obstat dicere, conventionem jure naturali fundari. *d. l. cum Papinianus*, & *c. 1. de mutuis petit.* & per consequens excommunicatis competere. Qua respondetur id intelligendum esse ad effectum, ut coram eodem judice fiat reconventio; non autem ut omnis, qui excipere potest in judicio, possit reconvenire, ut latius probavi *in c.1. de mupt. petit.*

13 Exponuntur c. per tuas 40. de sentent. excom. c. cum contingat de officio delegat.

Sed supra traditis obstat textus *in c. per tuas* 40. *vers. Verum in aliis, de sent. excomm. c. cum contingat*, 36. *vers. verum, de offic. deleg.* ubi probatur, excommunicatum appellantem non esse prius audiendum super prosecutione appellationis, quam ab excommunicatione fuerit absolutus. Igitur quia excommunicatus appellare, & appellationem prosequi non potest. Pro cujus difficultatis solutione discrimen constituendum est inter eum casum, in quo quis ab ipsa excommunicationis sententia, contendens eam injustam esse appellavit; & inter illum, in quo excommunicatus non ab ipsa excommunicatione, sed a sententia in alia causa prolata appellavit. Primo casu appellans prius absolvi debet, quam in causa appellationis audiatur, ne censuram Ecclesiasticam contemnere videatur. Secundo autem casu excommunicatus, cum prædicta ratio cesset, ad prosequendam appellationem absolutione non indiget. Quare cum *in d. c. cum contingat*, *d. c. per tuas*, agatur de excommunicato, qui ab ipsa excommunicatione appellavit, docetur illum appellationem prosequi non posse, nisi prius absolutione consecuta: in præsenti vero textu, & similiter agitur de excommunicato, qui a sententia in alia causa prolata appellavit, ut docuerunt Cujac. *in præsenti*. Suarez *de censuris disp. 16. sect. 5. n.11.* Sayrus *de tab. 2. de excomm. major. d. c. 16. §. 3.*

CAPUT VI.

Idem a *Monachis Farfen.*

CUM ven. f. n. I. *b* Sabin. Episcopus coram dil. fil. n. R. Diacono S. *c* Anastasiæ, & P. Luciæ *d* ad Septa Sol. Diacon. Cardin. quos sibi, & A. procuratori vestro concessimus auditores, Ecclesiam S. Viti cum suis possessionibus, & pertinentiis petiisset, asserens eandem ad se, tam in spiritualibus, quam in temporalibus pertinere: idem nondum ejusdem Episcopi intentione fundata, præpropere sic respondit, quod etiamsi dicta Ecclesia dudum fuerit Ecclesiæ Sabin. subjecta, ea tamen non poterat Episcopus vindicare, quam ex permutationis causa Farfense monasterium obtinebat: ad hoc probandum quoddam exhibens instrumentum, in quo contineri prima facie videbatur, quod *e* Theodo Episcopus cum suorum sacerdotum assensu prædictam Ecclesiam S. Viti pro quibusdam Ecclesiis, & & rebus aliis in *f* concambium vestro duxit monasterio concedendam. Ad hæc Episcopus proposuit memoratus, intentionem suam per hujusmodi responsionem esse fundatam. Cum enim pars vestra respondit, se dictam Ecclesiam permutatione facta per Sabin. Episcopum obtinere, quod etiam nitebatur publico instrumento probare; confiteri per consequens videbatur, se credere, quod dicta Ecclesia tempore permutationis pertinuit ad Ecclesiam Sabin. cum inter *g* contractus bonæ fidei permutatio computetur; nec cum alio, quam cum domino, vel cum eo, qui habebatur re videbatur; instrumentum tamen hujusmodi contra se minime admittebat, quod nec tabellionis auctoritate, nec subscriptione testium dignoscitur esse fulcitum. Sed adhuc pars vestra respondit, quod cum procurator id in modum exceptionis objiceret, non videbatur de adversæ partis intentione fuisse confessus: quia juxta legitimas sanctiones, qui exceptione utitur, non æstimatur de intentione adversarii, cum quo agitur, confiteri: adjungens quod etsi permutationis tempore cœnobium Farfense crediderit Ecclesiam dictam Sancti Viti ad Sabin. Ecclesiam dictam pertinere; prædictus tamen procurator ex certis causis, seu verissimilibus conjecturis, credulitatem suam postmodum potuit taliter informare, ut crederet eamdem Ecclesiam ad Sabin. Ecclesiam tunc temporis non spectasse. Porro memoratus Episcopus ad probandum, quod jam dicta Ecclesia ad se in temporalibus pertinebat, quosdam testes induxit, per quos nitebatur ostendere, quod tam dictam Ecclesiam, quam molendina, terras, & alia bona ejus Sabin. Episcopi diutius possederunt, de illis pro suæ libertatis arbitrio libere disponendo. *Et infra*: Super his agitur, & aliis propositis coram Cardinalibus supradictis, deliberatione cum fratr. n. habita, intelleximus supradictum Episcopum intentionem suam minime fundavisse per depositiones testium, vel procuratoris supradicti responsionem. Quia sicut præmissum est, exceptionem objiciens de intentione adversæ partis, non intelligitur fuisse confessus, vel per instrumentum ex adverso exhibitum, cum in eo Theodo Episcopus, a quo permutatio proponitur facta, non dicatur *i* Episcopus Sabin. quamquam in transcripto, quo procurator utebatur, appositum fuit Sabin. per vitium falsitatis. Licet autem nimis excesserit, quod transcriptum illius instrumenti *j* falsavit; quia tamen delictum personæ non debet in damnum Ecclesiæ redundare, ac non solum ante sententiam, verum etiam post objici poteat *k* exceptio falsitatis, cum falsorum instrumentorum prætextu lata sententia usque ad xx. annorum spatium valeat retractari, veritate comperta noluimus, ut id monasterio vestro præjudicium generaret. Quia vero nobis constitit supradictam Ecclesiam Sancti Viti constituram esse in Diœcesi Sabinensi, Episcopale jus in omnibus eidem Episcopo adjudicavimus in eadem, illis dumtaxat exceptis, quæ per authentica scripta ei dignoscuntur esse subtracta privilegia, cum per privilegium, vel præscriptionem legitimam nullatenus probaretur exempta. Verum quia dictus Episcopus, qui eamdem vindicabat, munitum se præscriptione legitima non ostendit, quamquam probaverit Episcopos Sabin. bona ejusdem Ecclesiæ aliquanto tempore possedisse, vos ab impetitione Episcopi, quod *l* temporalia ejusdem Ecclesiæ, sententialiter ruximus absolvendos.

NOTÆ.

1 a *Idem.*) Ita legitur in 4. collectione, ubi *sub tit. de confessis*, reperitur hic textus: sed retinenda est inscriptio, quæ ita habetur in 6. collectione, *Idem monachis Farfensibus*, Et facile illis monachis in præsenti rescribere Innocentium, suadetur ex textus serie, & ejus historia infra referenda. Monasterium Farfense Ordinis D. Benedicti constructum fuit prope Romam in Sabinensi provincia anno 220. a Laurentio natione Syro: dictumque fuit Farfense, quia ædificatum fuit juxta puteum dictum Farfaro; & cum variis hostium incursionibus desolatum esset, instauratum, & magnis opibus ditatum fuit a Thomasio, ut referunt Blondus *in descript. Umbriæ*, Volaterranus *in comment. lib. 6.* Leander, Albertus *in Umbria*, plura congerens de ipso Monasterio Ypes *t. 2. Chron. D. Benedicti, anno Christi 680. c. 1.*

b *1.*) Joannes videlicet a S. Paulo, & a Cælestino III. Cardinalis creatus anno 1191. sub Innocentio III. ad Sabinensem Ecclesiam promotus anno 1203. Hic omnia jura ad Sanensem Ecclesiam spectantia, quæ ex longa Conradi Moguntini prædecessoris absentia Episcopatui illi deperierant, diligenter conquisivit, & in pristinum statum restitui curavit, ut refert Ughell. *t. 1. Ital. sacr. in Sabinensi Ecclesia, nu.* 22. Unde profecto orta fuit præsens lis cum Monachis Farfensibus super Ecclesia S. Viti. Et alterius litis cum ipsis monachis mentio extat *in c. cum venerabilis 6. de relig. dom.*

c *S. Anastasiæ.*) Titulus hic est Presbyteri Cardinalis, ut referunt Germonius *de indultis Cardinalium, verbo tituli*, Cohelius *in notit. Cardin. c. 2.*

d *S. Luciæ.*) Titulus hic est Diaconi Cardinalis, ut referunt Germonius, & Cohel. *ubi supra.*

2 e *Theodo Episcopus.*) Imo Domnizo Sabinensis Episcopus, de quo ita legitur in chronico Abbatiæ Farfensis: " Qui anno „ 1073. coram Gregor. VII. primo mensis Augusti refutavit „ in manibus D. Bernardi Abbatis Farfensis Ecclesiam Sanc„ ti Viti in Toncia cum omnibus pertinentiis suis; & iple „ Abbas concessit eidem Episcopo Ecclesiam Sancti Nicolai „ de Murca: & interfuere, & confirmavere hanc refutatio„ nem Leo Archipresbyter, Bernardus Presbyter, Frison Pres„ byter, & Homulus. „ Refert Ughellius ubi supra *fol.* 183.

f *Concambium.*) Quid sit concambium, exposui *tit. ex parte, de foro comp.*

g *Contractus bonæ fidei.*) Quos agnoscit jus canonicum, nec confundit cum contractibus stricti juris, ut ex hoc textu notarunt Mancinus *lib. 1. genial. c.*23. Bronchorst. *miscel. cent.* 1. *assert.* 54. Permutatio autem est contractus bonæ fidei, licet non differat a contractu innominato, *do ut des*: & actio bonæ fidei ex eo datur, quia assimilatur contractui emptionis, & venditionis, qui actionem bonæ fidei producit, ut docent late Mendoza *de pactis l.3. c.3.* Corrasius *l.2. miscell. c.*15. Gonnanus *l.2. comment. c.*15. *n.*3. Faber *in l.1. ff. de rer. permut.* Oldaldus *l.*12 *Donelli c.* 10. *litt. A*, Pichardus *in §. actionum* 28. *q.* 27. *n.* 16. *de action.* D. Joseph de Retes *l.2. opusc. sect.* 1. *c.* 8. *n.*6.

h *Loco Domini.*) Ut Episcopus, vel similis Ecclesiæ Prælatus, qui ratione liberæ administrationis Domini censentur, *c. cum super, de causa possess.* ubi notavi.

i *Episcopus Sabinensis.*) Sed dubia probatio interpretationem recipit ex partium confessione, *cap. cum Joannes* 10. *de fide instrument.* at in præsenti casu Monasterii pars proposuit permutationem celebratam fuisse cum Episcopo Sabinensi: ergo licet in instrumento simpliciter mentio fieret Episcopi Theodi, necessario juxta partis confessionem intelligi debebat de Episcopo Sabinensi. Sed respondendum est, textum *in dict. cap. Joannes*, procedere in partis confessione, ex qua dubia adversarii probatio recte interpretatur: præsens vero textus loquitur in exceptione, de cujus natura est, actoris intentionem excludere, *l.2. ff. hoc tit.* non autem dubiam probationem explicare, ut docuerunt hic Abbas *n.* 57. Alex. de Nævo *n.*11.

6 j *Falsavit.*) Licet committens falsitatem in causa illam amittat, *c. cum olim*, 25. *de rescript. l. in fraudem* 45. *§. quoties, ff. de iure fisci*: id tamen procedit in privato falsificante, non autem in Ecclesiæ Prælato, vel procuratore, quorum delictum non nocet Ecclesiæ, *c.* 2. *de ordin. cognition. c. imperator, de juram. calumn.* nisi totum Capitulum delictum perpetrasset, ut *c. tam ex litteris, de in integr. restit.*

7 k *Exceptio falsitatis.* Licet regulariter exceptio dilatoria debeat opponi ante litis contestationem, juxta addacta *in c.* 4. *c. exceptionem* 12. *hoc tit.* exceptio vero peremptoria usque ad sententiam, *c.* 1. *de ordin. cognit. c.* 1. *&* 2. *de litis contest. lib.* 6. *l. peremptorias, C. de sententiam rescindi*: tamen speciale est in exceptione falsitatis, ut etiam post sententiam opponi possit, & sententia ex falsis probationibus, seu instrumentis lata retractari possit intra viginti annos, *l. querela* 12. *C. ad l. Cornel. de falsis*; ad quam respexit Innocentius *in præsenti*, *vers. Intelleximus*, quo tempore omnes accusationes criminales præscribuntur, *d. l. querela*, ibi: *Sicut cetera quoque fere crimina*: docent Anton. Gomez *l.* 3. *variar. c.* 1. *a nu.* 5. Jul. Clar. *in praxi, §. fin. q.* 51. Tiber. Decian. *t.* 2. *tr. crimin. lib.* 3. *c.* 30. Cujacius *l.* 4. *observ. c.* 14. Nec obstabit si dicas, regulam dictæ legis *querela*, procedere quoties quis criminaliter accusatur, sed in præsenti tantum agitur de exceptione falsitatis opposita contra instrumentum, vel sententiam, quæ præscriptione viginti annorum non tollitur, quia quæ sunt temporalia ad agendum, sunt perpetua ad excipiendum, *l. pures in fin. C. de doli except. leg. lieet*, ubi Glossa, *Ced. de except.* Quare Abbas hic *n.* 43. Alexand. de Nævo *nu.* 68. putarunt Innocentium in præsenti tantum retulisse falsam partis allegationem. Sed existimo eos non satis percepisse mentem Innocentii III. in hac allegatione; non enim ignorabat Pontifex, regulam dictæ legis *querela*, procedere tantum in accusatione, & actione criminali, non vero in exceptione opposita contra instrumentum etiam post sententiam ad illam retractandam: sed adducendo regulam illius legis argumentatur a majori ad minus, ut pleramque faciunt Romani Pontifices. Si enim actio criminalis contra falsarium durat 20. annis & secuta condemnatione retractatur sententia, *d. l. querela*, multo magis exceptio falsitatis post sententiam opponi poterit, quia cui damus actionem, multo magis, & exceptionem concedere debemus, *l. non vitius* 98. *§. cui damus, ff. de R. J.*

8 l *Temporalia.*) Licet sententia incerta nulla sit, *l.*2. *& per tot. Codic. de sentent.* sicut & omnes actus propter incertitudinem vitiantur, *leg. cum duo* 26. *Digest. de in diem addict. l. eg. duo* 30. *ff. de testam. tut. leg. triticum* 94. *ff. de V. O. leg. quod in stipulatione* 3. *ff. de usuris*, *c. ad hoc* 10. *de rescript.* ea regula tamen celebrem continet exceptionem, quando videlicet sententia est incerta, sed ad certum aliquod instrumentum refertur: nam tunc sustinetur, *c. licet ex quadam* 43. *de testib. leg. certum* 6. *ff. de rebus credit.* quia in jure paria sunt exprimere, vel ad certam rem se referre, *l. si ita scripsero* 38. *ff. de condit. & demonstr.* Facit, nam incertitudo, quæ ad certitudinem commode referri potest, non vitiat actum, *l. cum pater* 70. *§. gener, ff. de iure dot. l.* 3. *C. de dotis promiss. c. cum dilectus, de ordin. cognit. c. duobus*, *vers. Quod si forsan, de rescriptis in 6. leg. hac venditio, §.* 1. *ff. de contrahend. emption.* Menochius *lib.* 2. *de arbitr. casu* 149. *n.* 57. *& casu* 188. *per totum.* Seraphinus *de privil. iurament. c.* 157. *n.* 16. Quo casu accipiendus est præsens textus, in cujus specie licet Pontifex in sententia non exprimeret, quænam essent illa temporalia; tamen quia se retulit ad instrumenta, & privilegia, quæ quidem certa erant, & ex quibus sententia poterat certificari, ideo propter incertitudinem illa non vitiatur. Docuerunt in præsenti Anton. *n.* 5. Ancharan *n.* 17. Abbas *num.* 48. Alexad. de Nævo *n.* 86.

COMMENTARIUM.

9 Conclusio probatur.

COmmuniter ex hac Decretali præsens deducitur assertio: " Reus excipiens non videtur fateri ea quæ in exceptio„ nibus comprehenduntur. „ Probant textus *in l. non utique* 9. *ff. hoc tit. l. si quidem*, *l. in exceptionibus* 12. *C. hoc tit. regul. in exceptionibus* 63. *de R. J. lib.* 6. *c. illud, de præsumpt.* Illustrant ultra congestos in præsentia Balboa, Barbosa, & Garanna, Cujacius *hic*, *& lib.* 9. *observ. c.* 36. Polletus *lib.*6. *hist. fori, c.*6. Parexa *de instrum. edit. t.* 2. *tit.* 7. *resol.* 3.

10 Impugnatur conclusio.

Sed pro dubitandi ratione adversus hanc assertionem ita argumentor: Qui unum confitetur, censetur confiteri id, quod ex eo necessario sequitur, *c. quo iure*, 8. *dist. c. translato, de constit. c. cum super* 23. *de offic. deleg.* non aliter atque transfigens de crimine censetur fateri crimen, de quo accusatur, *l. quoniam* 5. *ff. de his qui not. infam.* regula enim est, ut qui vult consequens censeatur velle & antecedens, *l. illud* 76. *ff. de acquir. her. l.* 2. *ff. de iurisd.* At permutationis contractus necessario præsupponit dominium in permutante, *l.* 1. *in fine, ff. de rerum permut. c.* 1. *c. ad quæstionis, eodem titul.* Ergo procurator monasterii Farfen. excipiens de Episcopi permutatione, necessario fatebatur Episcopum dominum fuisse Ecclesiæ Sancti Viti tempore permutationis. Augetur primo hæc dubitandi ratio *ex c. præterea* 10. *de transact.* ubi per exceptionem initæ tranlactionis super jurisdictione certæ capellæ, per quam monachi se liberatos esse a subjectione asserebant, intentio Episcopi actoris contra monachos fundata est: *& in c. venerabilem* 34. *vers. Sunt enim notoria, de test.* qui allegavit se jam esse absolutum a censura, censetur fateri se prius excommunicatum fuisse. Secundo augetur hæc difficultas ex eo, nam producens instrumentum non potest illud impugnare, *cap. cum olim*, 19. *de consib.*, imo omnia in eo contenta censetur fateri. Parexa *d. resol.* 3. *per tot.* sed pars monasterii Farfensis in præsenti specie exhibuit instrumentum permutationis, ex quo aperte constabat, Ecclesiam S. Viti fuisse Episcopi Sabin. ergo postea non poterat illud impugnare, aut pro parte reprobare.

11 Traditur ratio decidendi.

Qua dubitandi ratione minime obstante, vera est præsens Innocentii decisio, cujus tres refert rationes Glossa *in d. leg. exceptionem*, quas ibi prosequuntur Petrus Pechius, Abbas *n.* 26. Felinus *n.* 14. Decius *n.* 19. Alexand. de Nævo *nu.* 46, *in præsenti*. Receptior tamen est, ideo excipientem non videri actoris intentionem fateri, quia in quolibet actu humano semper attenditur, quod principaliter agitur, *l.* 1. *ff. de auctor. tut. l. si quis nec causam, ff. si certum petat. leg. verum* 40. *ff. de furtis*, cum aliis congestis a Tiraquello *de retract. tit.* 1. *§.* 30. *gloss.* 1. & actus non debet operari ultra intentionem agentis, *l. non omnis* 19. *ff. si cert. petat.* Cum igitur exceptio ad excludendam actionem prodita sit, *l.* 2. *ff. hoc tit. princip. Instit. eod.* si per illam reus intentionem actoris fateri videretur, jam exceptio contra ipsius effectum, & ultra intentionem, & voluntatem agentis procederet; & inde eveniret, ut exceptionis remedium, quod ad defensionem inventum est, ad condemnationem prodesset, contra textum *in l. legata* 14. *ff. de adim. legat.* & produceret duos effectus contrarios, contra textus *in l. qui hominem*, *§. fin. ff. de solut. c. majores de baptismo*. Sed licet prædicta ratio frequentius recepta sit ab Interpretibus, non levem patitur difficultatem ex eo, quod ista confessio, vel exceptio sæpissime confitenti, vel excipienti nocere solet, *l.* 1. *§. si autem, ff. si mensor falsum modum*, *l.* 1. *§. Labeo ff. de, flumin. l.*1. *&* 2. *C. de formulis, c. præterea, de transact. c. ad decimas*, *de restit. spol. lib.* 6. Quare verior ratio est, excipientem non videri intentionem adversarii fateri, quia semper censetur exceptio opposita sub conditione, si actor intentionem suam probaverit; nam cum regula sit utriusque juris, actore non probante, reum, etsi nihil præstiterit, esse absolvendum, *l. qui accusare, C. de edendo, c. cum Ecclesia, in fine, de caus. possess.* reus quando excipit, ea lege, & conditione exceptionem videtur proponere, ut in utrumque paratus sit, videlicet actore non probante, nec ipsum ad probationem exceptionis adstringi; eo vero probante, ut ipse ad probationem exceptionis adstringatur: id enim naturæ exceptionis maxime convenit, ut probant textus diserti *in d. l. si quidem vers. Tum demum*, *l. negantes, C. de O. & A. l. exiat* 25. *ff. de iure fisci*, *l. exceptio* 22. *ff. hoc tit. l. in exceptionibus* 19. *C. de probat.* Quam rationem præsenserunt Glossa *in d. l. non utique*, & ibi Cumanus, Silicetus *in l. exceptionem*, *n.* 5. *C. de probat.* Covar. *lib.* 1. *var. c.* 2. *n.* 2. Pacianus *lib.* 1. *de probat. c.* 22. *n.* 8. Unde Cujac. *lib.* 9. *observ. c.* 5. retineri posse existimat negationem, *in l. familiæ* 37. *ff. famil. erciscit.* ubi Marcellus ait; *Qui familiæ erciscundæ judicio agit, non constatur adversarium sibi esse coheredem*. Præsens tamen assertio procedit in casu dubio, in quo excipiens non videtur fateri intentionem adversarii, ex ratione supra addacta, non vero ubi constat ita oppositam esse exceptionem, ut reus fateatur intentionem actoris veram esse, etsi expresse id asserat, vel ex forma proponendi ita colligatur, *c. præterea, de transact.* ibi: *Si confitentes in jure*. Et ideo in dicta regula *Exceptionem, de R. J. lib.* 6. non dicitur absolute, excipientem non fateri; sed non videri fateri: & ita in dubio interpretandam esse exceptionem, probant in præsenti Anton. *n.* 42. Immola *nu.* 20. Abbas *n.* 26. Alexand. de Nævo *n.* 49. cum aliis congestis a Paciano *de probat. lib.* 1. *c.* 24. Deinde infertur, præsentem assertionem procedere, licet exceptio simpliciter & absolute absque ulla conditione proponatur; sic enim Innocentius in præsenti, & Jurisconsulti in locis supra citatis hanc regulam generaliter tradiderunt: quare ita indistincte accipienda est, *c. si Romanorum*, 19. *dist. l.* 1. *§. generaliter*, *ff. de legat. præstand.* alias enim hoc non esset proprium exceptionis, sed conditionis: contra dictam regulam *Exceptionem lib.*6. docent in præsenti Innocentius *nu.* 2. Joann. Andreas *n.* 18. Bellamera *n.* 12. Anton. *n.* 43. Immola *n.* 20. Felin. *n.* 12. Abbas *n.* 26. Pacianus *d. c.* 22. *n.* 15. licet contrarium defendat Glossa in præsenti, verbo *Confessus*, Dinus *in d. regul. Exceptionem*, moti ex lege *quinquaginta* 12. *vers. Nam si creditum*, *ff. de prob.* ubi onus probandi incumbit reo, eo quod solutionis exceptionem oppositit. Sed textus ille intelligendus est, quando intentio actoris aliter fundatur, quam simplici exceptione rei, ut *in l.* 1. *C. eod. tit.* ubi notavit Paul. *n.* 3. Moventur etiam ex præsenti textu, in cujus specie permutationis exceptio non fuit simpliciter objecta, sed conditionaliter, ibi: *Quod etsi vitia Ecclesia dudum*, &c. Sed respondent Doctores supra laudati, quod Innocentius in præsenti, *vers. intelleximus*, non fundatur super exceptione conditionaliter opposita a procuratore monasterii, sed super regula juris communis, videlicet excipientem non videri fateri intentionem actoris. Quæ ratio tamquam generalis attendi debet, juxta textum *in l. regula* 9. *§. pen. ff. de juris*, *& facti ignorant.* quæ solutio licet vera sit, affirmari non incongrue potest, exceptionem in præsenti simpliciter, non vero conditionaliter propositam fuisse.

12 Nec obstat dubitandi ratio supra expensa, pro cujus solutione

Traditur ratio decidendi.

tione Glossa hic, *v. Confessus*, asserit exceptionem conditionaliter proponendam esse; præmissa negatione, ne reus videatur actoris intentionem confiteri, veluti si actor petat a me centum mutuo data, debeo negare mutuum, vel venditionem, etsi me de illo appareat jam solvisse. Consentiunt huic sententiæ Glossa verbo *Constat*, *in d. l. si quidem*, & *in d. leg. regul. Exceptionem*, ubi Dinus *in fine* & hac praxi uti cautos Advocatos, docent Baldus *in d. l. si quidem*, *nu.* 4. Pacianus *de prob. lib.* 1. *q.* 2. *n.* 1. Sed hæc solutio non convenit præsenti decisioni, quia ut supra dixi, in ejus serie non conditionaliter, sed pure, & absolute exceptionem oppositam fuisse refertur. Etiam refellunt prædictam sententiam Pacianus *ubi supra*, Cevallos *practic. q.* 361. *n.* 9. ex eo quia prædicta praxi excipiendi reus uti non potest, quia in judicio, etiam illi, qui justam causam fovet, non licet falsitate, nec mendacio uti, *c. ne quis*, cum sequenti, 22. *q.* 2. docent cum Div. Thoma plures congesti a Covarr. *lib.* 1. *var. c.* 2. *n.* 1. Gutierez *lib.* 1. *practic. cap.* 60. *n.* 40. Quesada *qq. c.* 30. *n.* 7. Sed contrarium, imo restrictione mentali utendo, posse reum etiam cum juramento negare se mutuum accepisse probat late D. Joseph de Retes *lib.* 7. *opusc. c.* 7. *per tot.* Rejecta igitur Glossæ interpretatione, respondendum est, decisionem nostri textus generaliter procedere in exceptione pura, & simplici, non præmissa negatione, vel conditione, ex his quæ late dixi in ratione decidendi, & illationibus. Neque obstat argumentum, est enim verissimum, quod qui aliquid confitetur, censetur etiam fateri id, quod ex eo necessario consequitur, juxta jura allegata ibi. Ceterum in specie nostri textus, non sequitur per necessariam consequentiam: Episcopus permutavit, ergo dominus erat Ecclesiæ S. Viti. Potuit enim permutatio de facto intervenire, & ideo procurator monasterii excipiendo de permutatione, non videtur intentionem Episcopi fateri, juxta Glossam *hic*, *verbo Confessus*, quam sequuntur plures relati a Paciano *ubi sup. n.* 12. Nec obstat augmentum deductum, *ex d. c. præterea*, *el* 2. *de transact. cap. venerabilem* 34. *de electi.* textus enim *in dict. cap. præterea*, loquitur in confessione rei, ex qua adversarii intentio plene probatur, ut constat ex eo textu, ibi, *se confitentes in jure*: præsens vero textus procedit in exceptione, ex qua idem dicendum esset, si præmitteretur confessio, ut probant hic Anton. *num.* 43. Immola *num.* 20. Abbas *num.* 26. Alexand. de Nævo *n.* 49. cum aliis congestis a Paciano *ubi sup. c.* 24. textus vero *in d. c. venerabilem* 34. loquitur in diversa specie, nempe in eo, qui petit absolutionem excommunicationis: tunc enim videtur fateri se esse excommunicatum, cum præsumatur peti ab eo, qui existimat se ligatum esse, *cap. per tuas*, *versi. Nos igitur*, *de sent. excommunic.* idque cedit in utilitatem ejus, ut assequatur beneficium absolutionis; secus vero erit dicendum in eo, qui excipit se absolutum esse a censura sibi objecta; non enim videtur fateri fuisse excommunicatum, ad fundandam intentionem actoris, qui excommunicationem opposuit, ex regula hujus textus. Probant Covar. *in c. alma*, 1. *par.* §. 12. *n.* 1. Mascard. *de probat. concl.* 700. Nec obstat ultimum augmentum difficultatis; nam licet verum sit, producentem instrumentum non posse illud impugnare, *d. c. cum olim*, ea tamen regula varias patitur limitationes, inter quas illa præcipua est, ut non procedat quoad tertii præjudicium, vel ratam habentis productionem, juxta quam accipiendus est præsens textus, in cujus specie monasterii procurator falsum produxit instrumentum sine mandato, vel ratihabitione monasterii, imo eo ignorante; & ideo merito monasterio non præjudicavit, argumento textus *in c. dilectum* 26. *de R. I. in* 6, *c. si Episcopum* 16. *quæst.* 16. docent in præsenti Abbas *nu.* 39. Decius *num.* 29.

CAPUT VII.

Honorius III. *Abbati S.* a *Oberti*, *Leodien. Diœc.* & b *S. Joannis*, & *S. Martini* c *Decani Leodien.*

OLim nostris fuit auribus intimatum, quod cum felicis recordationis Innocentius Papa prædecessor noster mandasset v. f. n. Archiepiscopo *d* Treveren. ut compositionem inter nobiles viros L. Comitem De Los, & Vv. de Hollandia, Crucesignatos, *e* Trajecten. Diœc. super *f* raptu nobilis mulieris uxoris ejusdem Comitis, terris, & rebus aliis amicabiliter initam faceret observari; dicto Vv. nitente contra compositionem venire prædictam, & se ad appellationis diffugium convertente, idem Archiepiscopus ejus appellationi non deferens, quam frivolam esse decrevit, in præfatum Vv. quia alias erat vinculo *g* excommunicationis adstrictus, specialiter propter compositionem prædictam, excommunicationis, & in terram ejus interdictis sententias promulgavit. Cumque postmodum dil. fil. G. dicti Comitis procurator nostras ad vos super executione sententiarum ipsarum litteras impetrasset, & H. procurator præfati Vv. in audientia publice contradixisset eisdem, ven. f. n. *h* P. Albanus Episcopus, & dil. fil. n. *i* R. Sanctæ Mariæ in Cosmed. Diac. Cardin. quos procuratoribus antedictis dedimus auditores, quia per ea, quæ ab eisdem fuere proposita coram eis, constitit manifeste dictum Vv. excommunicationis vinculo esse innodatum, procuratorem ejusdem Vv. ad impetrandum litteras, vel contradicendum, admittendum non esse sententialiter decreverunt, litteris quas ad vos dicti Comitis procurator impetraverat absolutis. Nos quidem ad instantiam procuratoris Comitis sæpedicti, alterius partis astutiam metuentes, vobis dedimus in mandatis, ut in commisso vobis negotio juxta formam in prædictis litteris nostris expressam ratione prævia procedentes, litteras decerneretis carere viribus, si quas forte a nobis super præmissis pro ipso Vv. in præjudicium sæpedicti Comitis per subreptionem contingeret impetrari, quæ plenam de prædictis non faciant mentionem. Nuper autem ex parte memorati Vv. fuit propositum coram nobis, quod litteris prædicti prædecessoris nostri supradicto Archiepiscopo præsentatis, idem Vv. excipiendo proposuit coram eo, quod auctoritate litterarum ipsarum respondere minime tenebatur: tum quia *j* mortuo mandatore, expiraverat jam mandatum; tum etiam quia ultra duas dietas extra suam diœcesim trahebatur in causam, contra constitutionem Concilii *k* generalis: & quia dictus Archiepiscopus has, & alias exceptiones ejus legitimas admittere recusabat, idem Vv vocem ad nos appellationis emisit: sed præfatus Archiepiscopus ipsius appellatione contempta, mandavit ven. f. n. Episcopo Trajecten. ut *l* compositionem præfatam faceret per censuras Ecclesiasticas firmiter observari. Adjectum etiam fuit ex parte prædicti Vv. quod dictus Comes appellationem frivolam mentiens antedictam, a nobis excommunicatus existens, veritate *m* tacita litteras impetraverat supradictas. Quare pro parte ipsius Vv. fuit a nobis humiliter supplicatum, ut cum idem, ac terra, & alia bona sua sub Apostolicæ Sedis protectione *n* consistant, super hoc sibi providere misericorditer dignaremur, non obstante sententia, quam *o* incurrerat cum Ludovico in Angliam transfretando; cum ipsum absolverimus ab eadem. Nos igitur eidem ab excommunicationis vinculo absoluto providere volentes, Abbati S. Laurentii Hostbroch, & conjudicibus suis per nostras dedimus litteras in mandatis, ut si rem invenirent taliter se habere, revocato in irritum quidquid invenirent post appellationem hujusmodi attentatum, causam audirent; & fine debito terminarent, alioquin partes ad examen vestrum remitterent, appellantem in expensis legitimis condemnantes. Porro ipsius Comitis procurator novissime proposuit coram nobis literas, quas pro ipso Vv. ad eumdem Abbatem S. Laurentii, & ejus collegas direximus, subreptitias esse per expressum mendacium, & tacitam veritatem: nam nec jamdicti prædecessoris nostri mandatum expiraverat cum mandante, prout nobis fuit ex parte Vv. sæpedicti suggestum, cum ante mandatoris mortem Archiepiscopus procedere incepisset: nec idem Vv. ultra duas dietas extra suam diœcesim trahebatur, cum ipse Archiepiscopus terminum in tali loco statuerit, qui remotus ab illo non erat ultra quam provisum est per constitutionem Concilii memorati. Adjecit etiam ejusdem Comitis procurator, quod sæpedictus Vv. auctoritate jamdicti prædecessoris nostri alia est excommunicatione ligatus, de qua in litteris ad jamdictum Abbatem S. Laurentii, & conjudices ejus directis nullam fecit penitus mentionem: quare petiit sæpedicti Comitis procurator, ut eas ob causas prædictas litteras decerneremus irritas, & inanes. Quia vero in tanta juris contrarietate proponentium nobis de veritate non constat, discr. v. m. quatenus si procurator prædicti Vv. infra tres menses primum terminum sibi super hoc assignatum a nobis probare potuerit exceptiones, quas coram Archiepiscopo proposuit sæpedicto, videlicet mandatum re integra expirasse, vel se in causam trahi ultra duas dietas, contra constitutionem Concilii generalis; seu etiam ipsum Comitem de Los excommunicatum fuisse tempore, quo nostras ad vos litteras impetravit, prout ejusdem Vv. procurator exposuit coram nobis, vos, nisi dictus Comes probaverit sæpedictum Vv. tempore, quo litteræ ad Abbatem S. Laurentii, & ejus conjudices pro ea directæ impetratæ fuerunt, alia excommunicatione teneri ab ea, quam incurrit cum Ludovico in Angliam transfretando, negotio supersedentes omnino, jamdictum Abbatem S. Laurentii, & ejus conjudices procedere permittatis juxta traditam sibi formam. Procuratore vero sæpedicti Vv. deficiente in exceptionum probatione dictarum, vel ipso Comite sufficienter probante dictum Vv. tempore litterarum impetratarum, pro eo, excommunicatione alia ab ea, quam in Angliam tranfretando incurrit, fuisse ligatum, vos, litteris ad Abbatem S. Laurentii, & ejus conjudices obtentis, nequaquam obstantibus, in negotio ipso juxta formam vobis traditam, appellatione postposita procedatis, nullis litteris obstantibus, si quæ apparuerint, harum tenore tacito, a Sede Apostolica impetratis,

NOTÆ.

NOTÆ.

1 a *Oberti*.) Ita legitur in quinta collectione edita a Cironio, *sub hoc tit. cap.* 1. ubi ipse recte notat, legendum esse *Sancti Huberti*, quod monasterium est in diœcesi Leodiensi, cujus originem, & fundatorem his verbis refert Hubertus Mireus *in orig. Canob. Belgic.* ibi: Cœnobii istius condendi auctor fuit sanctus Beregisus, qui in Sarchinienfi cœnobio a Sancto Trudone recens exstructo regularibus disciplinis informatus, locum hunc a Pipino Majore domus Regiæ impetravit. De quo Chronographus: Trudonensis Beregisus, inquit, ex pago Condiosio ortus, & a parentibus intra monasterium S. Tradonis sub habitu Religionis litterarum studiis, & lege divina imbuendus traditus, largiente Pipino principe eidem lata prædia, monasterium Andrainense in honorem S. Petri construxit, in quo Clericis ordine Canonico militantibus ipse Pater in eodem habitu est sociatus, quod modo S. Huberti in Ardenna nuncupatur, ubi Vvarso Leodiensis Episcopus, delato eodem e Trajecto corpore dicti S. Huberti, pro Canonicis Regularibus Monachos instituit. „ Ex quibus Trudonensis Chronographi verbis illud effici videtur, tum apud Sarchinienses, seu Trudonenses, tum apud Andrainenses, ex primæva institutione fuisse non Monachos, sed Clericos, seu Canonicos, ut vocant regulares. Quod ante nos Joannes Nolanus vir antiquitatum Ecclesiasticarum peritissimus observavit *in natal. SS. Belgii*, 2. *Octobr.* Hoc porro cœnobium Sancti Huberti nomine vulgo innotescit, cujus sacrum corpus ibidem pie asservatur, quod Vvaso, seu Vvalcandus Leodiensis Episcopus eodem e Leodio Anno Christi octingentesimo vigesimoquarto transtulit. De Leodiensi diœcesi nonnulla notavi *in cap.* 50. *de testibus*.

b *S. Joannis*.) De hac Ecclesia aliqua notavi *in c. veniens, de renunciatione*.

c *S. Martini*.) Hæc Ecclesia dicata est Beato Martino 7. Tungrensi Episcopo, ut probat Cironius in præsenti.

2 d *Treverensi*.) Joanni videlicet, Imperatoris Cancellario, de quo hæc refert Petrus Kratepolius *in annal. Archiepiscoporum Trevir.* " Joannes Imperatoris Cancellarius, Cæsaris ac „ Summi Pontificis benevolentia Archiepiscopatum consequutus est. Fuerunt duo simul creati, Volmarius Archidiaconus, & Rodulphus summæ ædis Præpositus: & cum de Archiepiscopatu per septennium disceptarent, posthabitis illis, „ hic Joannes a Pontifice substituitur, & per Sigefridum Cardinalem statim confirmatus est. Ea sane tempestate præstantiorem Pastorem Trevirici habere non potuerunt. Ita præfuit, „ & profuit, ut tum provinciæ, tum ipsi civitati non parum „ contulerit. Hanc muris cinxit, & turribus per circuitum „ adornavit. Ecclesiasticarum rerum curam semper maximam „ habuit. Chorum summæ Ædis Treviris ampliavit, & tunicam Domini Jesu in altari D. Nicolai sumpsit, & in supremum reconditit. „

3 e *Trajecten*.) Trajectum inferius, urbs inclyta, & memorabilis, olim dicta fuit Antonina, ab Antonio Senatore Romano fugiente tyrannidem Neronis. Trajectum dicitur a trajiciendo, eo quod mercatores frequenter per urbem transitum habeant, & veteris Rheni trajectus fuerit. Ejus historiam, & Præsulum Cathalogum ediderunt Kratepolius, Joann. de Bexa, & Vvillelmus Heda, quorum historiam Ultrajectinam nuper edidit, & notis illustravit Arnoldus Buchelius.

4 f *Super raptu*.) Casus ita contigit. Theodorico Comite Hollandiæ defuncto relicta filia Ada, cui tutorem testamento dedit Vvillelmum fratrem Comitem Frisiæ Orientalis, vidua Theodorici Comitissa Adelheidis habens prædictum tutorem exosum, & regni cupida, nondum adimpletis mariti exequiis, quo summa rerum penes eam maneret, vocavit Ludovicum Comitem Losensem ex arce Altenæ, cui proprie advenienti despondet Adam filiam. Vvillelmus audita fratris morte, ut interesset fratris exequiis pervenit ad portum Zippe, sed repulsus est. Cui multi Proceres commiserati, ob illatam injuriam, sese jungunt, fidem dantes, ut securus accederet. Conspirat ergo cum eis contra Adelheidem, & Ludovicum, juxta decretum Primorum Hollandiæ, qui nec a muliere regi, nec extraneos Principes super se dominari volebant. Ludovicus, & Adelheides diffugiunt: Ada capta mittitur ab Vvillelmo patruo in Texaliam. Vvillelmus fugato Ludovico Comitatum Hollandiæ obtinet, & cum Theodorico Episcopo Trajectensi, qui faverat Ludovico, pacem fecit, mortuaque Ada nepte, Comitatum a Federico Imperatore in feudum recepit, ad quem etiam Regnum Scotorum per obitum Magolini, seu Malgotini Regis avunculi sui jure hæreditario devolvebatur, & congregato exercitu, cum Ludovico primogenito Philippi Augusti Franciæ Regis transfretavit, multas urbes regni illius occupans. Referunt Divæus *libr.* 19. *rerum Brab.* Buchelius *in notis ad Joannem de Beu*, *in vita Theodorici* 32. *Episcopi Ultrajectil.* Cironius in præsenti.

g *Excommunicationis*.) Nota ex hoc textu, semel excommunicatum posse iterum nova excommunicatione ligari, sed præcedere debere novam monitionem, probat Gibalinus *de censuris disquisit.* 6. *q.* 1. *consect.* 2.

5 h *P.*) Pelagius videlicet, qui electus fuit ab Innocentio III. Diaconus Cardinalis tituli Sanctæ Luciæ in Septifolio, postea Presbyter Cardin. S. Luciæ creatus anno 1206. ac sub eodem evasit Episcopus Cardinalis Albanus anno 1211. ab Honorio III. enim in Orientem Legatus de latere missus est anno 1215. cum prævalido Christiano exercitu, a quo post diuturnam obsidionem Damiata nobile Ægypti oppidum captum est. Quod ipsum non multo post Christianos ob intestinas discordias amiserunt. Hujus Orientalis expeditionis Pelagii, Iacobus Cardinalis de Vitriaco meminit *in histor. Orientali*, *lib.* 3. Rupinum in Regem Armeniæ inauguravit. In Italiam reversum Honorius iterum illum Legatum misit Veronam, ut Federicum II. Imperatorem hortaretur, ut opportunas bello sacro suppetias ferret. Refert Ughel. *tom.* 3. *Ital. in Alban. Eccles. fol.* 297.

i *R.*) Raynerius videlicet Viterbiensis, creatus Cardinalis ab Innocent. III. anno 1212.

j *Mortuo mandatore*.) Juxta adducta *in c. gratum* & *relatum*, *de offic. delegati*.

k *Concilii generalis*.) Relati *in c. nonnulli* 27. *de rescript.* ubi notavimus.

6 l *Compositionem*.) Quam ex Honorio III. refert Cironius in appendice ad notas in præsenti: & cum valde ex ea illustretur præsens textus, transcribere, operæ pretium duxi.

Nobili viro Comiti de Los de Crucesignato.

Sacrosancta Romana Ecclesia, &c. usque *Inclinati*. Ad exemplar felicis recordationis Innocentii Papæ prædecessoris nostri, compositionem inter te ac nobilem virum Vvillelmum de Hollandia, Trajectensis Diœcesis, super raptu nobilis mulieris A. uxoris tuæ, necnon Hollandia, & aliis terris ad te ratione uxoris ejusdem spectantibus, mediante quodam Philippo Marchione Namurcensi, & Tebaluco Bajulo Comitatus Flandrensis amicabiliter initam, & juramentis præstitis hinc inde firmatam, sicut fine pravitate provide facta esset, & ab utraque parte sponte recepta, ut in scriptis authenticis inde confectis plenius continetur, auctoritate Apostolica præcipimus observari. Ut autem eadem compositio firmius observetur tenorem ipsius præsentibus jussimus annotari, qui talis est. Hæc forma compositionis, & pacis perpetuæ inter Lodovvien. Comitem de Los, & de Hollandia, & Dominum Vvillelmum Florentii, Comitis Hollandiæ quondam filium, arbitrio Domini Philippi Marchionis Namurcensis, Bajuli Flandriæ, & Nobilium Frandriæ virorum consensu & consilio firmatæ, ac spontanea prædictorum, Comitis scilicet Lodevici, ac domini Vvillelmi voluntate plenius approbatæ. Post longas siquidem controversias inter eos versatas tandem in bonum pacis consentientes L. Comes de Los & de Hollandia, & Dominus Vvillelmus prædictus, dicto & arbitrio Domini Philippi Marchionis Namurcensis super universa terra, quæ fuit Theodorici Comitis Hollandiensis se commiserunt. Dominus igitur Philippus Marchio Namurcensis dicto arbitrio suo assignavit Comiti de Los Comitatum Hollandiæ, excepto dotario matris Domini Vvillelmi supradicti, post cujus Domini decessum dotalitium illud ad Dominum Vvillelmum in proprietatem deveniet. Assignavit etiam Dominus Philippus Marchio Namurcensis Comiti de Los, Scarpenesse, Duvelant, Staveneffe, & Drieshore, & Dominum Hugonem de Odevuome, & de Vvestrentione, de appendiciis: Tota vero Terra alia ex hac parte Mosellæ versus Flandriam per dictum arbitrium Domini Marchionis Namurcensis remanet in parte Domini Vvillelmi, quidquid Dominus Hugo prædictus tenet apud Apenbuch, & Castellaniam de L. Sellamandia, & omne quod tenet infra insulas, quæ assignatæ sunt Domino Vvillelmo, tenebit ipse Hugo a Domino Vvillelmo: & inde excipiuntur quatuor Insulæ prædicto Comiti de Los assignatæ. In Vvimagio apud Gerulitz habebit Dominus Vvillelmus omni anno quadringentas libras denariorum, & habebit illic nuncium suum ad denarios colligendos, quousque quadringentas libras receperit: omne quod illis quadringentis libris supervenerit, Comitis de Los, & Hollandiæ erit: si quid autem ad illas quadringentas libras perficiendas defuerit, Comes de Los & de Hollandia infra annum perficiet. Cum nuncio Domini Vvillelmi Comes de Los ministrum suum habebit ad computandum, & sciendum denariorum receptionem in prædicto Vvimagio. Illas quadringentas libras guidagii Dominus Vvillelmus tenebit ab Imperatore, seu Rege Romanorum, sicut Comes de Los tenet ab eodem Rege refiduum ad Vvimagium de Gerulitz. Homines Domini Vvillelmi nihil aliud solvent, quam solebant solvere tempore Florentii Comitis Hollandiæ. Ad dictum & arbitrium Domini Philippi debet Dominus Vvillelmus adhæredare Comitem de Los de omnibus supradictis, & Comes de Los Dominum Vvillelmum bene etiam adhæredare. Unde sciendum est, quod Dominus Vvillelmus ad dictum arbitrium Domini Philippi, & consilii sui dedit ei obsides pro dicto & arbitrio suo, tenendo fororem suam, & filiam suam propriam, & decem homines de Scondes, homines de Hollandia, qui ipsa die Brugis erant, fecit Dominus Vvillelmus facere hominium Comiti de Los, & de Hollandia: & per Castellanum de Leda, qui præsens erat, debet Comiti de Los fatere habere libere Castellanum de Leda, vel per nuncios suos: debet quoque mandare, & præcipere omnibus hominibus Hollandiæ, & totius terræ Comiti de Los assignatæ, per litteras suas patentes, & per nuncios suos, ut Comiti de Los hominium faciant & fidelitatem sine aliquo malo ingenio: & in mandato illo, & præcepto debet hominibus illis intimare, quod si hominium illud, & fidelitatem facere recusaverint, contra omnes qui rebelles erunt, erit Comiti de Los in omni posse suo in auxilio, quousque hæc consummata erunt. Comiti de Los & per-